




Tragoedia nova Pammachius,

<https://hdl.handle.net/1874/416860>

TRAGOE
 DIA NOVA PAMMA-
 chius, autore Thoma Nao-
 georgo Straubina
 genli.

CVM PRAEFATIONE
 LVCVLENTA.

Augustae, per Alexandrum Vuciffenhorn
 Anno. M. D. XXXIX.



FRAGOE
L. V. G. P. M. N.
C. H. M. P. M. N.
L. V. G. P. M. N.
L. V. G. P. M. N.

L. V. G. P. M. N.
L. V. G. P. M. N.
L. V. G. P. M. N.
L. V. G. P. M. N.

REVEREN

DISSIMO PATRI D. THOMAE AR-
chiepiscopo Cantuariensi digniss. Thomas
Naogeorgus. S. D.



Cogitanti mihi sepe desum-
mis Dei opti. maxi. benefi-
cijijs, quibus nos dum in hac
uita uersamur, pro singula
ri sua erga nos clemētia, co-
tidie cumulat, ut per ea ad
salutē & ueram sui agnitio-
nem, quæ est aditus uerus

ad uitam æternam, perducamur, nullum quidem nos
bis uel maius uel gratius uideri debere existimo, quam
quod uerbi sui ministeriū apud nos instituit, per quod
in omni genere afflictionum & tentationum in quibus
nihil nos leuare uel consolari potest, præterquam uerbi
cognitio, omnes rectē instruamur de Dei uoluntate,
erga nos, discamusq; illum non solū timere, uerum etiā
diligere & agnoscere pro patre, cui nos curæ sumus,
& qui uelit seruare & liberare nos ex angustijs &
malis, quibus uel propter peccata, uel diaboli scuitiam
ac tyrannidem assidue premimur, atq; exercemur. Per
hoc enim ministerium nō solum proponitur nobis do-
ctrina, nota etiā aliquo modo rationi, que cum ostens-
dat nos nō casu natos, aut hunc mundū fortuito ortū,
simul etiā monet deū esse qui inspicit res humanas

Et curet eas, puniat malos, & benefaciat bonis, uerū
etiam explicatur nobis arcana Dei uoluntas, de perpe-
tua & ineffabili misericordia illis promissa, qui agnos-
cunt suam indignitatem & apprehendunt filium pro-
pter quē uelit ipse nobis esse propitius, & recipere nos
in gratiam etiam si sinus indigni & sentiamus nos me-
ritos eternam iram ac damnationē. Cum enim nemo
ea sit innocentia præditus quin in magnis calamitatibus
uel tentationibus sentiat se merito & perditum & reie-
ctum à Deo, nihil profecto perturbat e mentis salubrius
& gratius esse potest, quàm uox Euangelij de gra-
tuita remissione peccatorum propter Christū, quam
solum ministerium uerbi nobis commōstrat & pate-
facit. Itaq; sæpe scriptura nobis magnificē prædicat dig-
nitatem ministerij, quod profecto quia uocem Dei ad
nos perfert amplissimū est, et bonis mētibus eo nihil iu-
cundius aut magis salutare contingere potest. Sicut et
Esaias docet cum ait, Quām speciosi pedes Euangeli-
zantium pacem, & Euangelizantium bona. Intelligit
enim prophetam hominē afflictum, nec in ratione, nec
in lege reperire ullum solatium, quo se erigat ac sustē-
tet, sed tantum in uerbo de promissa misericordia per
Christum quod annunciat per ministros, quorū uo-
ce et nuncio nihi potest esse dulcius consternatis me-
tu conscientijs propter conspectum immunditi ei & in-
dignitatis nostræ. Vt autē nulla functio in terris san-
ctior & præstantior est ministerio uerbi, per quam so-
lam fiant homines participes beneficij Christi, & cō-
equantur remissionē peccatorum, ac eternam salutē,

ita ē contra nullum grauius scelus excogitari potest,
quā ui ac fraude saluberrimum munus in deterrimā
pestem, & perniciem animarum & totius ecclesie
conuertere, quemadmodū iam multis annis ab impijs
pontificibus Romanis est factitatum. Ii enim auaritia
ambitione, et alijs sceleribus incitati sacratissimum mu-
nus à Christo institutū & Apostolis traditum ita per-
uerterunt, ut pontificatus pro immanissima tyrannide
iure haberi possit. Quæso enim, ut pontifices dominē-
tur Regibus, & summis monarchis totius orbis, ut in-
finita pecunia cumulent opes, ut fruantur turpissimis
uoluptatibus, quid non iuris sibi sumunt? quam nō sibi
potentiam arrogant? Primum enim ut habeāt Reges
obnoxios & trahant ad se regna mundi fingunt se ha-
bere utrunque gladium hoc est, non solum potestatem
ecclesiasticam sed etiam ciuilem, qua liceat ipsis pro li-
bidine Regibus ac Principibus eripere regna, & qui-
bus ipsi uelint deferre & quidem se omnibus præpo-
nunt, quod quo speciosiore fucofaciant magna impudē-
tia deprauant scripturam, & abutūtur eius autoritate
ubi commodum est. Quod si quis reclamet & dispu-
tet aliam esse sententiam, obijciunt, ad se pertinere ius
interpretandi, nec esse reprehēdēdos, uel si (ut ipsorū
Canon ait) multa animarum millia perdant. Igitur
tantum abest, ut nostri pontifices suo fungantur offi-
cio ad salutem animarum & conscientiarum, ut etiam
nomine sui officij flagitiosissime abutantur ad exitium
Ecclesie, quod profecto plenum sceleris ac plusquā ty-
rannicū est. Et aut atrocius peccat is qui cum ex offi-
cio

cio iuuare debebat, illo ipso ledit quod nomen gerit, si-
cut proditores multo deteriores hostibus sunt qui prae-
textu amicitiae perdunt, ita pontifices multo maiore odio
digni sunt, qui cum sint summi custodes religionis con-
stituti, eam ipsi ut priuatas cupiditates expleant scelerate
proiiciunt & opprimunt. Nam cum ideo sint in superio-
riore Ecclesiae loco constituti, ut maiore autoritate gu-
bernent eam, conseruent & propagent religionem, or-
dinent personas aptas ad docendum Euangelium, ipsi
omissa hac cura stabiliunt suam tyrannidem, rapiunt re-
gna mundi, & pro ijs etiam armis sepe acerrime di-
micant, inuaduntq; in alienam functione, publico et or-
bis & Ecclesiae malo. Neq; uero cum alienis principi-
bus tantum belligerantur de ditionibus & imperio, aut
eos iniustus excommunicationibus concitant ad arma ut
alieno damno suam potentiam augeant et confirmant,
Sicut Gregorius septimus etiam filium cum patre com-
misit. Alexander tertius praestantissimum imperato-
rem, & cumulatam omni laude heroicarum uirtutum
Fredericum primum implicuit atrocissimis bellis, eumq;
indignis contumelijs affecit. Cum enim optimus im-
perator publicae pacis causa se ad pedes pontificis abie-
cisset, ut peteret absolutionem, pontifex eius ceruici
pedem imposuit, & ut augetur rei indignitas ac-
clamari superbe iussit uersum ex Psalmo. Super aspidem
& basiliscum ambulabis conculcabis leonem & draco-
nem. Cum quidem scriptura praecipiat, ut magis
stratum sanctissime & reuerenter colamus. Sic enim
ait, Principi populi tui non maledicas. Deniq; ne
plures

plures commemorem, nostris temporibus Iulius
secundus, suis technis totum fere orbem terrarum bel
lis accenderat. Ipsi pontifices inter se & armis, &
seuissimis odiis de principatu concertant. Neque
uero opus est, ut pluribus exemplis ex historia allatis
fidem huius rei faciam, unum hoc pro multis satis de
clarabit, quanta immanitate & rabie, de honoribus
& opibus soleant contendere. Cum temporibus
Arnolphi imperatoris atrox scisma fuisset coortum
inter sergium & formosum, Sergio pulso, For
mosus arripuit Pontificatum, postea mortuo For
moso, Sergius rediens Romam, immani cupidi
tate uindictæ inflammatus, offendit cadaver Formosi,
quod crudelissimè tractatum, postea truncauit ca
pite, et in Tyberim præcipitauit. At huic similes
multi alij fuerunt, non solum flagitijs, etiam in
genij monstrosa tarditate insignes, & nulla bona
rum rerum cognitione instructi, qualis hic tamen Ser
gius in primis fuisse perhibetur, ut uidelicet esset πικ
λὸς αἰ ματι περὺρ μένος, quod rhetor olim de Ty
berio Cæsare dixisse fertur, cum animaduertisset in
eius mente incredibilem stuporem, cum singulari se
uitia coniunctum. Hæc quanquam horribilia sunt,
tamen illa adhuc uincunt quod eo tandem furoris pro
cesserunt pontifices, ut sicut Christus prædixit, in tem
plo Dei postulauerint se pro numine coli, & adorari.
Nunc cum illa reprehendantur uiolenter ferunt,
quod Tyrannorum proprium est, & ferro indicant
silentium bonis, qui non approbant ipsorum impie

etatem & scelera, & quemadmodum truculentus ille
lorarius in Comœdia ait, Indigna, digna habenda sunt
herus quæ facit, Ita illi nolunt quicquam uel leuissimè
notari, etiam si nihil nisi mera sacrilegia & portenta
præcipiant & faciant. Tolerari enim fortassis
poterant, si mediocriter labefactarent statum Ecclesiæ
Nunc cum religionis nomen habeant in quæstu, impe-
ritis precio uendant cœlum, immensam pecuniarū uim
extorqueant commētitijs indulgentijs, condant nouas
et blasphemias tarditiones de cœlibatu, de Missa, ex-
erceant plus quàm Phalaricā sæuitiam in fideles, cūq;
eis præcipuè sit commissæ cura religionis tuendæ ac de-
fendendæ, relictis his ineptijs, ut ipsi pro sua eximia sen-
tētia loquuntur, genio prolixè indulgēt ac uentri tanquā
summo deorū sicut Cyclops in Tragœdia seruiunt, ei-
q; sacra faciunt scœdissimis uoluptatibus. Sed ne mu-
tire quidē aduersus hæc impune permittunt, quin po-
tius quemadmodum teterrimus tyrannus apud Hero-
dotum, cum filium Harpago epulandum proposuisset,
interrogassetq; patrem, quomodo placeret ipsi factum,
nequaquam uolebat uituperari, sed potius audire, bel-
lissimam scilicet uocem, quicquid Rex facit, hoc mihi
placet, ita ipsi damnari nolunt, etiamsi dira commit-
tant, quod ipsis non est nouum. Illis enim ut Bastiani
nouerca dicebat, quicquid libet, licet. Ego uero ex anis-
mo doleo in scœlicissimam quarūdā regionum condit-
tionem, quæ tantam tyrannidem uel per superstitionem
& ignorantia uerbi, uel per uim coguntur adhuc sus-
tinere. Nobis autem cum ex tantis tenebris & carnis
i ficina

ficina corporum & animorum nunc beneficio renouate doctrinae ecclesiasticae sumus aliquo modo liberati sitq; nobis uerus ministerij usus iterum restitutus alienissimus à Pontificum tyrannide, existimo assidue coram Deo agendas gratias. In primis uero gratulor Angliae uestrae, quae sapientissimi Regis studio ac pietate nunc etiam à tali peste quae occupauit totum pene Christianum orbem ceperit purgari. Ac praecipue in hoc meretur praedicari sapientia serenissimi Regis qui praereliquis finitimarum nationum principibus ac Regibus rem tanti momenti animaduernerit, & constituerit non diutius ferre in sui regni finibus intolerabile istam Pontificum tyrannidem sine modo grassantem & cancri more Ecclesias iam multos annos depascentem. Nec dubium est deum affuturum pijs consilijs Regis, quae uidemus summa uis in id incumbere, ut regnum suum reddat cum alijs bonis rebus ornatiss. uidelicet literis, legibus, & alijs politicis ordinationibus, tum uero maxime religione quae salutem & pacem animis solidam ac perpetuam parit, & pertinet ad gloriam & nomen Dei maxime illustrandum. Neq; uero ornatissime persul parum tibi debet Anglia uestra, qui ut accipimus nullo studio, consilio, ac opera, cessas tam pia & salutaria Regis consilia confirmare & adiuuare, quae cum ad salutem Ecclesiae & religionem prouehendam pertineant, te, id est Episcopo singulari pietate et doctrina praedito, maxime dignum facis. Cum autem iudicauerim plurimum referre etiam publice ut animi à pueris imbuantur acri odio tyrannidis cuiusmodi iam annos plus quam 400.

exercuerunt Pontifices, composui Tragicam fabulā,
in qua tenere etati eius aliquam imaginem exprimere
ac depingere utcūq; conatus sum. Neq; nim pericu-
lum est, ne perpetuo exagitandis impie & scelerate
factis, nimium procedatur. Ac uidemus nihilominus
Pontifices, uel parum uel nihil, nisi quod ui extorque-
tur, remittere de sua pertinacia. Nec uidentur desitu-
ri, donec ipsorum impia doctrina, & autoritas peni-
tus subuertatur. Neq; enim Tyranni, pius desinūt, sui
similes esse, quā extrema urgeant. Sicut Dionysi us
Siculus olim fertur dixisse. Tyrannidem non debere
relinqui ab illo, qui insidiat equo, sed qui trahatur pe-
dibus. Cum igitur exhibuissē, harum regionum, ali-
quot bonis & doctis uiris, meum scriptū, & intellexis-
sem ipsis consilium meum non displicere, uisum est, ad
tuam dignitatem mittere, ut intelligeres, et peregrinis
gentibus studium uestrum, in renouāda doctrina Ec-
clesiastica, & tollendis abusibus, qui iam longo tem-
pore in Ecclesia inualuerant, maximopere probari,
simul etiam exemplis confirmaremini ut maiore animo
quod instituitis perficeretis. Decet enim magno con-
sensu nos omnes anniti, ut Tyrannis, ex Ecclesia præ-
sertim extirpetur. Et quoniam meum scriptum minime
eius generis esse scio, in quo uel ingenium, uel eloquētia
te acerrimo iudicio præditū, magnopere delectare pos-
sit, ualde optarim, te pro tua singulari humanitate, quā
audio tecum eximia doctrina coniūxisse, boni cōsule-
re studiū meum, quod ut facias, & me tuæ dignitati
commendatum habeas, uehementer etiam atq; etiam
rogo. Bene uale.

Sacras

SACRA RVM LITERAVM MEXI

MIO PROFESSORI DO-
CTORI MARTINO LV-
THERO THOMAS
NAO GEORGVS.
S D P.

Quod Græcus ait, ὅτι ἡ ἀμαθία μὲν θεασθεῖς,
ἐκνησεύει δὲ τὸ λογιζομένω ἀπεργάζεταιται,
Nunquam (eximie Doctor) sensi esse uerius
Quam hoc tempore in me, qui presentes audiam
Et serias res, & plenas periculo,
Infido plerumq; theatro committere.
Sane ueteres, qui scripserunt Tragœdias
Præterita tum tractarunt argumenta, nec
Res presentes quisquam ausus est proponere.
Quo factum, ut & ipsi tuti essent, & omnium
Pro industria commendaretur uocibus,
Prudenter illi, cæterum ego ἀμαθῆσεσθερ,
Qui non per illorum incedam uestigia.
Sed re presenti multorum in me prouocem
Odiū, et labore meo quidem, quo quid potest
Dici stultius, huius mundi si commoda
Querimus & amamus? Si placet assentatio?
Si multorum uolumus probari calculis?
Sed quid agam? Christiani non esse censeo
Hominum seruire duntaxat libidini

Et uce

Et ueritatis deserere patrociniū, &
 Id solum spectare, ut probetur omnibus,
 Quū tamen impia sit pars hominum quāmaxima,
 Cui non nisi suis similia moribus placent.
 Quapropter & Pauli nota est sententia
 Qua, si placeat hominibus, se Christi negat
 Seruum esse. Nam displicuisse malis maxima
 Laus est. Contra & summum placuisse dedecus,
 Si igitur a ueterum discessi uestigijs
 Non ἀμαθία solum in causa est, sed multo magis
 Hostilis in Baptismo iuratus animus
 Aduersus pompas & Satanæ collegium.
 Cuius animi quantum licet esse destino.
 Irascatur Satanæ, & sentina mali.
 Odio me prosequantur quanto collibet.
 Οὐ νέμεσις ἀμφὶ ἀληθείᾳ πολὺν χρονον,
 τοὺς κεννοὺς χριστιανὰς πᾶσχερ ἄλγεᾶ,
 ἢ τ' ἐλένης καλλιῶν ποιῆτ' εὐδαίμονας.
 Quia igitur tu nobis primus eam tenebris
 Oppressam Aegyptiacis, in hanc clarissimam
 Lucem (irato quamuis tenebrarum Principe)
 Reduxisti, & primos incursum hostium,
 Et syncretismum omnē Satanæ sodaliū
 Scuto fidei & gladio excepisti spiritus,
 (Quos sanē plurimis dedisti animum, ut simul
 Pro ueritate eadem subeant pericula)
 Tuo sub nomine hanc placuit Tragœdiam
 Spectandam ueritatis sectatoribus

*Aedere, ut his primicijs mea erga te omnibus
Pro doctrina nota esset obseruantia,
Quodq; fatear me tibi debere plurimum, &
Omni uelim modo me gratum ostendere.
Tu quæso exiguum non spernas munusculum,
Sed me hæctenus ignotum tibi, uel ultimum
Tuos inter amicos habere sinas locum,
Quem dudum amici ultro es dignatus nomine.*

F I N I S.

PROLOGVS

*Quid afferamus, si uacat cognoscere
Spectatores, paucis exponam singula.
Pammachium, qui Romanus est Episcopus,
Euangelicæ doctrinæ coepit tedium,
Mox simul ac Iulianum duxerat ad fidem,
Per quem cunctis pax concessa est Ecclesijs.
Pammachius igitur inflatus superbia,
Res magnas quæritans, Porphyrium nactus est
Applausorem consilij longe pessimi
Ut se Satanæ dedant, à Christo deuiant.
Christus non ignarus rerum istarum omnium,
Satanam iam mille annis uinctum solui iubet,
Et ueritatem interea terras relinquere.*

PROLOHVS,

Satanas solutus conuocat uicarios,
Expiscatur quid illo exegerint die.
Interea cum Porphyrio Pammachius adest,
Satanici regni postulans consortium.
Recipitur, iure iurando data fide,
Quo facto, Cæsarem (qui cum contentio
Illi ante inciderat) cijcit ex Ecclesia,
De ponit ab imperio. Tum Cæsar angitur
Vehementer tam subito perturbatus malo,
Pammachij gratiam impetrare destinat.
Multum frustra q; dissuadente Nestore.
Adit. Doctrinam Pammachij audit impiam,
Illius & creaturas uidet nouas.
Restituitur. sed duris condiciotibus,
Quum subiectis iurasset obedientiam.
Quo digresso, Satanus uocatus aduenit
Creatas uidet, gesta audit, miratur, probat.
Tanta erigit tropheum pro uictoria.
Epulantur ex adeptis spolijs in die.
Interea à Christo exorato in terris loco
Redit cum Paulo ueritas, ut gloriam
Christi illustret, Papæq; doctrinam arguat.
Quod quum sit, Satane irascitur collegium,
Consilij cæptis, doctrinæ & doctoribus
Varijs excidium moliuntur machinis.
Res est non obscura, intuenti tempora
Et præterita, & præsentia, si collegerit
Apostolicæ doctrinæ summam, & quæ de in

PROLOGVS,

Doctrinæ monstra Papatus, turpis lucri
Aut ambitionis gratia, produxerit.

In summa. Papatum suis coloribus.
Depinximus. Non carpimus si quid boni
A Romana unquam productum est Ecclesia.
Habent bona suas laudes, ut quæ dicimus
A diuino haud dubium profecta spiritu.
Superstitiones, luxum, decreta impia,
Superbiam, arrogantiam, pessima opera,
Cruelitatem, perniciosa dogmata,
Auericiam, imposturas, contemptum Dei,
Laudet alius, qui pasci amat mendacijs,
Qui plus mundi, fauorem certat querere,
Quam ueritatem sectari, & uerbū Dei.
Nos certe qualescunq; sumus, mendacijs
Et errori fauere nondum possumus.
Vos æqui adeste iudices Tragædiæ,
Quam orbi doctrinæ peperit controuersia.
Res ficta est, ita tamen, ut adsit ueritas
Quæ iucundum coniuncta dant & utile.

Inter locutores

INTERLOCVTORES

Christus.
Petrus Apostolus.
Paulus Apostolus,
Pammachius Episcopus.
Porphyrius Sophista.
Iulianus Cæsar
Nestor Cancellarius.
Satanas.
Planus.
Stasiades,
Chremius.
Dromo seruus.
Veritas.
Parrhesia ancilla.
Pterophon ueredarius.

Actus

ACTVS PRIMVS

Christus, Petrus, Paulus.



Enescantis iam mundi ratio postulat,
Vt errorum mala inserantur
semina,
Suasq; inimicus noster uires
exerat,

Et summè contra ueritatem, turpibus
Inauditisq; praeualeat mendacijs,
Nomenq; meum atq; religionem funditus
Extinctam uelit, in eoq; sudet maxime
Diuinum ut omnem in sese cultum transferat.
Adco post mille annos solutus uinculis
Fremet, & squalores ulciscitur carceris.
Recte tu cum Petre rugientem pinxeras
Leonem, qui uorandos quærat iugiter.
Nonne uidetis quantum cathenas dentibus
Nitatur conterere, & parieti cornua
Illidat, & serpentinis se motibus
Torqueat? Heu sursum max atq; deorsum omnia
Miscebit, strenue & neglecta sarciet.
Veh Christianis, ueh populis & gentibus,
Magnum iam tandem habebitis aduersarium,
Quem nosse, quem cauere, cui resistere
Non cuiusuis, sed erit diuina prediti

B

Vires

Actus

Virtute, & quem Dei seruarit dextera.
Iam uigilijs, nec non orationibus
Et sobrijs illis opus erit mentibus
Plusq̄ ante hac unq̄. Quippe inundabunt mala,
Regnante summo iniquitatis principe.
Sed apparebit, amici, sole clarius
In hisce malis, an cordi sint mortalibus
Mœ uestræq; contiones, in quibus
Mali uenientis mentionem fecimus.
Si fuerint cordi, animas tuebuntur suas,
Sin minus, in communibus inuoluentur malis.
Sed utcūq; cadat, inimicus soluendus est.
A cuius tamen illecebris fortiter meos
Seruabo, iniquitati ne apponant manus.
Nemo surripiet eos quos mihi dedit Pater:
Hæc uos amicos ignorare nolui.
Sed & ante nostis tempus sic fore ultimum.
PET. Etiam ne, ea iam (magister) adsunt tempora,
Quibus Satanas laxis habenis imperet,
Erroresq; potenter perniciosos serat?
CHR. Adsunt. Seriem ipsi temporum reuoluite
Nunc ante consummationem sæculi,
Quam plurimum concedatur libidinis
Et Satanae & imbijs symmistiis omnibus,
Ut æternum deinpotenter ardeant.
PET. Tanto igitur res confundente aduersario
Tuo sanctissimo quid fiet nomini?
CHR. Eius redigitur cognitio ad paucissimos.
Ut uix salutē à me querat mille simus.

Alia

Primus

Alia sibi alutis quærent nomina
Homines, tota in quibus hæreant fiducia,
Quæ in cunctis inuocent necessitatibus,
Et hominum existimabitur stultissimus,
Salutis qui suæ firmam et sacram anchoram
Nomen meum solum statuerit, scilicet
Nolens sperare auxilium ab impotentibus.
In partes mille alij sua scindunt pectora,
In nullo collocantes solo spem suam.
Magnis surdos in clamabunt boatibus,
Per suasi falsis inimici miraculis,
Vt olim in Israel Sacerdotes Baal.

P. E. Quæ illa, magister, erunt nomina quæso, aut in
Ad ea homines currēt necessitatibus? (quibus

CHR. Catalogus nominum penè infinitus est.

Appellabunt partim bona opera & ordines,

Partim merita & afflictiones corporis,

Cucullos, peregrinationes, & preces

Rosarum dictas nomine, horasq; canonicas,

Ieiunia, coelibatum, atq; indulgentias,

Missas, sacrificia, defunctorum uigilias,

Et aquilæ tandem consecratæ aspergines.

Ad isthæc peccatorum præsi pondere

Diffugient, afflictisq; conscientijs,

Eiusmodi uanis putabunt consuli.

P. A. V. Prorsus inaudita, magister, dicis nomina.

CHR. Nec mirum Paule si illa ignorasti hactenus.

Homines ἀλαφροὶ surgent, quos tu dicere

Actus

Soles ἐφευρετὰς κακῶν qui simplici
Sanaq; fidei doctrina, haud contēti erunt.
PAV. Et his suis inuentis atq; somnijs
Remissionem peccatorum consequi
Se posse sperabunt? CHR. Nil exploratius
Habebunt Paulc, quam isthæc magni ponderis
Apud patrem meum esse. PAV. Vsq; adeo sanguinis
Tuaeq; mortis obliuiscuntur homines?
CHR. Prorsus. Surgent Monachorū pestiferū genus,
Qui ridiculas inuentiones, & suos
Cucullos, & professionis impie
Mysteria, sanguini longe doceāt meo
Præstare, PAV. Quid ais? Tantum ne impudentie
Et impietatis hominibus inesse poterit?
CHR. Etiam. Doctore Satana. Pulchre tu Petre
Illos ostendis dicens, φευδοδιδασκαλοι
Erunt in nobis, qui introducant hæreses
Perditionis. τὸν δεσποτῶν αἰνοῦ μύθοι
τὸν ἀγοράσαντ' αὐτοῦς. PET. Memini.
(PAV. Num tam impia
Docentes inuenient qui credant? CHR. Maxime.
Num non tuæ recordaris sententiæ
A ueritate auditum auersuros, & ad
Vanas homines se conuersuras fabulas?
Placebunt mendacia, & impostores magis
Quàm ueraces & sani diligentur, &
Quo perditior quisq; hoc cunctis charior erit.
Mundus uult decipi, illutores diligit,

Primus

*Nugatoresq; omnis pascit pinguisimis.
Aderunt igitur & cuncta implebunt pulpita:
PA. Heu heu, male erit quas plantauimus Ecclesijs,
Nostriq; labores sic reddentur irriti.
CHR. Nil certius. PA. Sed tamen Episcopos puto
Sanam doctrinam defensuros fortiter.
Nec tam facile mundi censuros Principi.
Vnde haud dubium ex populo seruari plurimos.
Nam quidquid Princeps calliditate diruct,
Per illos mox constantes instaurabitur.
Facile à nocturnis seruantur oues bestijs,
Si pastor operam nauet sitq; peruigil,
CHR. Nisi illi primi Paule ad Satanam cesserint.
PA. Horrendum ais. Tum nil spei esset reliquum.
CHR. factum docebit paulo post, quam gnauiter
Satanæ resistant, quam sint constantes, diu
Noctuq; quartum uigilent, quantum gloriæ
Mihî dent, & quantum nomen promoueant meum.
PET. Atqui mihi spes est in eo qui præsidet
Romanis, Pammachio, quem industrium serunt,
Doctum, fortem, atq; strenuum laboribus.
CH. Fuit is quidem, ut dicis. Sed per multum interest
An perpetim quis perseueret, qui fuit.
Nam repperisse ueritatis tramitem
Magnum est, sed in eo perstitisse iugiter
Maximum, & opera demum commendat omnia.
Pammachius, in quo solo tibi spes est, caue
Externa te decipiat sanctimonia.*

Actus

Abstrusis nondum cogitationibus
Interes, & cordis arcana haud intelligis.
Is enim prae ceteris mei fastidium
Capit, & doctinae iam me diuum unguem porrigit
Vltro ad Satanam uult cum symmistis pergere.
PE. Heu quanta de spe decidi. CH. Hic nihil est sp
Fastum, potetiam, & mundi ambit glorias,
Vnde & omnibus aduersum mihi ponet gradum
Ego pauper uixi, ille erit didissimus.
Ego salutis uiam commonstrauit hominibus,
At ille operam dabit, ne quis eam intelligat,
Charas ego mihi animas habui mortalium, &
Ut uiuerent, morte mea effeci lugubri,
Quas perdidisse summum ille putabit lucrum,
Ego Magistratus omnes atq; Caesarem,
Obedientia obseruaui debita,
Orbis Monarchas ille & Principes uiros
Pedibus premet, & indignis tractabit modis.
Ego abiectus discipulorum laui pedes,
Ille ad pedum haud quosuis admittet oscula.
Ego pacem suasi & promoui maxime,
Ille etiam inter pacificos disidia feret.
Ego gloriam nomenq; fugi regium.
Miris aliorum ille inuadet regna artibus.
Meis ego crucem humeris ad mortem pertuli,
Ille sublimis feretur a compluribus.
Ego sanaui, quos nemo sanare poterat,
At perdet ille, quos nemo potest perdere.

Primus

Coronam ego capite gestavi spincam,
Ille superbus triplici incedet diademate.
Nudis pedibus ego multum confeci itineris,
At ille auratis ornatus erit calceis.
Euangelium docens, peragraui oppida,
Bellator ille armatus cinget milite.
Turbatas pacificaui conscientias.
Ille quietis hostis erit conscientijs.
Meis ego diuitijs beaui plurimos,
Regnorum ille omnium loculos exhauriet.
Testamentum quoq; quod in cœna condidi,
Tantum ne mecum sapiat, uertet perfide.
In summa, nihil unquam meo se nomine
Texit, quod sic punignaret mecum ex diametro.
PE. Horresco (magister) tantũ abs te audiens mali
De Pammachio, quem ego putavi fore optimum.
Sed Antichristus (quantum nunc intelligo)
Et recti fideiq; euadet $\pi\alpha\omicron\lambda\epsilon\theta\eta\iota\alpha$
PAV. Is ne est, qui dudum Iulianum Cæsarem
Et una cum illo magnam multitudinem,
Tuis Magister uerbis duxit ad fidem ? (bitur ?)
CH. Rem tangis. PAV. Et tam cito ad aliud muta
CHR. Humana sic sunt ingenia prona in malum,
Mox ut diuina aliò gratia discesserit.
PET. Pereat ille, ut meretur cum sodalibus,
Totatq; farina hæc te experiatur iudicem.
Sed quantum hisce malis constituisti temporis ?
CHR. Tempora suis sunt præfinita terminis,

Actus.

Quos te scire nihil opus, suam inuenient uiam.
Hoc tantum accipe, quod etiam à me dictum est prius,
Propter iustos illi breuiabuntur dies,
Meiq; rursus crescet gloria nominis.
Et ubiq; regni Euangelium docebitur,
Ut uel pauci à Diabolo retrabant pedes,
Et obstinatis extet testimonium.
Aduentu deinde meo perdentur impij.
Pœnasq; iniquitatis perpetuas luent.
Interea regnet Satanus cum suis sinam, &
Super omne extollantur quod dicitur Deus.
Præualeat iniquitas, intereat æquitas,
Nulla fidei sit ratio, sana qui docet
Magna approbatione multitudinis
Interficiatur, ut recti ne gry quidem
Supersit, fastus, luxus, mentis cœcitas,
Tenebræ, auaricia, regnent, & discordia.
Doctores tantum uideant, quid populus uelit,
Quid quisq; audire gaudeat improbus, & quibus
Magnates oblectentur atq; Principes.
Perrari sint quibus cordi sit ueritas.
P A. In hoc ergo malorum mare cadere fines
Ecclesiis, tuoq; sacra nomini?
C H R. Quid ni? Omnis ad purũ hoc rerũ negotio
Probabitur electus deniq;. Sed cæteri
Ante suis quàm mactentur iniquitatibus
Pinguescent, & rerum numerus implebitur.
Sed tu angele acceptis abyssi clauibus

Primus

Antiquum cito soluas hostem. Et ut illi locus
Sit amplior ubiq; imperetq; latius,
Dic ueritati, ut prope terris abeat, &
Nulla illius regnum turbet molestia.
Fore enim, quum se rebus uelit immiscerier,
Præter statutum tempus, ut plagas ferat,
Aut ouis illi os, obturetur putridis,
Proinde si sapit caueat, & in aliud
Mordacia sua uerba, tempus differat.

Julianus, Nestor:

Quid tibi noua religio Nestor placet?

NE. Optime.

Gratiã habeo Deo, qui me dignatus est
Ex inferis reuocare, inq; sui filij
Ex sola gratia ponere consortium.
IV. Recte sentis. Sæpe ego mecum considero
In quantis uersati fuimus erroribus.
Viuentes in summa Dei ignorantia.
Nec id scientes perspicue quod uiximus.
Magnum est, Dei sic præueniri gratia,
Et tantas res sine magnis scire sumptibus.
Certe omnes Gentes sunt cœcæ, atq; perditæ.
Quæ Christum penitus, adeoq; ignorant Deum.
Heu quam mala sunt, semper conscientia,
Incertis & doctrinis semper fluctuant.
Quod nunc sentio, postquam tenebris erutus
Prioribus, in Iesum Christum credere

Actus

Cœpi. Iam tutiora sunt pericula
Omnia, mortis abest terror longe maximus,
Cur anteponam thesauros hisce Arabum? Et ad
Hæc uniuersi quid mundi est potentia?
NE. Equidem Cæsar, mundana omnia si conferas
Ad cognitionem hanc, uix sunt digna nomine.
Nihil illi deest, qui Christum uere nouerit.
IV. Proinde multum prorsus debemus Deo
Eiusq; ministris, & fidei doctoribus,
Per quos uelut è sepulchris tandem emerimus.
Quid censes? NE. Hæc mea Cæsar est sententia.
Deo quidem, donec hos artus spiritus
Rexerit, agenda grates sunt quam maxime
Tantumq; donum perpetuo in animo hæreat.
Porro ministris & fidei doctoribus,
Quia nobiscum uiuunt & multis indigent,
Quum postulauerint tuleritq; occasio.
Factis referatur gratia liberalibus.
Ne spiritus quum nobis semina seuerint,
Ipsi nostris non gaudeant carnalibus.
IV. Placet dictū. Nam quum aliàs mala, tū maxime
In doctrinis ingratitude pessima est.
Num ergo quod iussi singulis prouincijs,
Et earum ducibus cunctis & rectoribus,
Meo scripsisti literas ex nomine,
Ut Christianis sit pax & securitas,
Possintq; conuentus agere in Ecclesijs,
Et absq; omni timore sua tractent sacra?

Primus

NE. Factum est, & iam dudum rediere nunciij.

IV. Etiam ne illæ sunt expeditæ literæ

Vt exules quam primum redeant in sua,

Et damnati ad metalla liberi exeant,

Et si quid illis ablatum est, uel uineæ,

Vel agri, uel domus, uel pecora, publicis

Protinus id omne restituatur sumptibus?

NE. Nondum ea Cæsar conscripta sunt diplomata.

Scribæ hæctenus impediti bacchanalibus

Nil sani iurarunt se posse scribere. Vt

Scribantur autem quam primum curauero.

IV. Age uade iam, ne protrahas negotium,

Vt pleriq; solent nesciente Principe.

Scribarum segnicem emendes quantum potes,

Vt ad sua semper sint intenti munia.

Illis scriptis ad me redito. Ego hinc eo

Vt uisam quid Pammachius agat negocij.

Pammachius. Porphyrus.

Cui hæc committam tuo quam uelim dari.

Res magna est. Non manebit in cerdombus

Tonsoribusue, qui rerum pericula

Nunquam considerant. Mei simul è uolo.

Ad distringor curis perplexusq; hæsit,

An cogitata procedant fœliciter.

Varij & infidi sunt animi mortalium,

Aliorum prosperis obstant successibus.

Aut si nequaquam obstare possunt, inuidet.

Mora

Actus

Mordentq; clanculum, Sibi detractum putant
Secundis quod alij feruntur flatibus.
Sed perfricanda frons est, atq; fortiter
Audendum quidquid aggredi decreueris,
Et inuidorum sunt spernenda murmura.
Ilia dirumpantur quibus isthæc displicent,
Sed quid ago? Quo feror? Quod primū aut ultimū
Exequar? An isthæc concedet Rhamnusia.
Eundum est, & querendus cui communicem.
Sed en Porphyrus recte uenit obuiam.
Quam pulchre similes semper coniungit Deus,
Non poterat uir melior aut mihi coniunctior
Occurrere, nec cui isthæc credam tutius.
Aggrediar hominem. Quo nunc uadis Porphyri?
P O R. Ad te ibam Pammachi pater, uisurus, an
Recte ualeres. P A M. Recte, ut nunc se res habent.
P O R. Quid ergo solito es tristior? Non hic fuit
Ante hac uultus colorq;. Certe aut fallor, aut
Non ex sententia uales, aut quippiam
Malorum non communium tibi accidit.
Fortes enim non frustra tristantur uiri.
Quid suspiras? Quin dicis, quid nam sit mali?
Equidem consilio te uel opibus iuero.
Num perniciofa fidei surgunt dogmata?
Aut fratrum aliquis insigne commisit scelus?
P A M. Hæc me parum mouent, licet sint maxima.
Primum quidem isthæc ante curabam omnia.
Ut plurimas noctes uigil transduxerim.

At nūc

Primus.

At nunc laboris plurimum, lucri parum

Inesse sentiens, desino. Maioribus

Operam locare rebus est animus mihi.

P O R. Id tristis scilicet iā cogitas pater? (potes?

P A. Id ipsam. P O. At quibus? aut quomodo assequi

P A M. Non cuncta sunt narranda, cunctis cordium

Consilia, praesertim in quibus periculum

Consistit aut lucrum. Nec igitur interrogas.

P O R. Nosti tu quoque; tacita consilia, nemini

Communicata in re difficili maxime.

Sæpius esse calamitatis ingentis caput,

Nihil laboro scire, Nil periculi

Ex me tibi erit, tuis nec aduersor lucris.

Hercule nullus est, quantum ego reor, cui tutius

Quodcumque est committas, neque etiam qui magis

Tua promouere consilia possit. P A M. Graue est

Dicere. P O. Quid ita? P A. Tute improbabis frostitā

P O. Nihil minus. P A. Sed eamus intrò, ne inuidus

Aut Coryceus aliquis, quæ loquar, audiat.

P O. Quidquid noui est, malum tantum ne sit precor

P A M. Nihil est mali. Ausculta dūtaxat ut quæas

Intelligere. Te continentis hactenus

Linguae noui, meisque rebus omnibus

Fauere. P O R. Quid non faueam ego? Sanctissimo

Epectore haud consilia nisi sanctissima

Prodire possunt. Tu nihil nisi sanctitas.

P A M. Quam graue est rem tãtam manifestare, tã

Quod est periculosum, tum quod pessimi

Hæc s̄

Actus

Hæc si scirent, nobis omnibus illuderent,
Quia uero etiam in angusto magna res nequit
Concludi, fido & tacituro dicam tibi.
Sperans simul te in eandem posse pertrahi
(Quæ multum ex usu sit tuo) sententiam.

Animaduertisenim, Christiana quomodo
Vexetur undiq; religio, uix ut locus
Sit respirandi. Omnis iam nostro sanguine
Madet tellus. Interitum iam nostrum, mare,
Ignis, fluminaq; uiderunt. In montibus
Complures delitefcunt desertis boni.
Tot sunt hostes, tot persecutores mali,
Nomen qui Christianum exorsum habent nimis.
Hinc nos & supplicia manent quam plurima,
Carcer, fames, eculeus, crux & lampades,
Metalla, seruens oleum, & seua bestia
Ut prorsus admirer, quid sibi Christus uelit
Rebus tam turbatis. Cur ferat, aut cur suos
A pessimorum non defendat morsibus.
Certe olim populus qui Dei uocatus est
Non tanta pertulit mala, nec tot mortibus
Fuit subiectus, sed uixit suauiter,
Pace & tranquillitate pastus est,
Regnauit, Gentibus & dominatus est foris
Nos uero nihil quam ludibrium & cadauera.
Huius dein populi ego Episcopus uocor !
Quapropter cæteris plus petor ab hostibus.
Ut sperant pastore occiso, licentius

Primus

In oues miseris grassari posse, Sic ego
Timoribus in perpetuis quotidie obambulo.
Nusquam securus. Vita tenui stamine
Pendet. Quid uero mihi uolo? cur seruiuo
Tam miseram seruitutem? Cur obtempero?
Equidem tu prædicabas olim Porphyri,
Secundum qui rationem uiucret, bene
Iusteq; eum uiuere. Nam ratio ad optima
Hortatur. PO. Profsus. PA. At quid rationi magis
Aduersum, quid ue magis stulticiæ proximum,
Atq; scientem ac uolentem ultro ruere in necem?
Qui profitentur Christum, quid faciunt minus?
Non pareret rationi, qui mala non uitauerit.
extreme Christum quum omnes homines oderint,
Ratio uult diligi, non odium accersere.
Non ita deniq; in hanc uitam productissimus
Statim ut ruamus in mortem, furijs uelut
Acti, sed ut seruemus uitam, munere
Dei concessam, quæscunq; poterimus modis.
Creatura hoc omnis testatur, seruiens
Ad hoc ipsum, parentes, cælum, terra, sol,
Fere, pisces, pecudes, uolucres, et quidquid est.
Quæ insania est, quum omnia nobis uelint bene
Nos ipsos perdere? Eumq; sectari, male
Qui perijt, periere & symmistæ plurimi:
POR. Bene perfecto omnia. PA. Quippe illius do
Depugnant cū ratione uelut ex diametro, (gmata
Cūq; omni hominū sensu. Quid enim? Non uindicē?
Dimit

Actus.

Dimittam tunicam & pallium? Morem geram
Ad mille passus adigenti? Percussus ut
Percutiar amplius sinam? deniq; omnibus?
Ego ne inimicos diligam? Aut beneficiam
Odientibus? Aut orem pro persequentibus
Calumniantibusue? Quis unquam talia
Vir prudens faceret? Quid tandē est quod prædicat
Beatos pauperes? opesq; spernere.
Et dignitates posthabere præcipit?
Hæc mente capti sectentur uilisq; plebs,
Egregium quæ nil aut excelsum cogitat.
Ast ratione & natura ego præditus bona
Ducem sequar rationem. P O R. Bene facis pater.
Hoc & fortis uiri est officium, P A M. Me subtrahā
Ab hisce perpetuis mortis terroribus,
Vitæ tranquillitatem quæram scilicet.
P O R. Sed quo pacto tandē id poterimus consequi?
Quippe & ego res tranquilliores quærito,
Quas sperabam ex conuersione Cesaris,
P A M. Is nostris rebus pulchrum dabit exordium.
Pax nulla est Porphyri Christum sectantibus.
Nulla laborum merces, nulla est securitas.
Ut ipse uidere potes. Quare si quærimus
Res nostras stabilire, & dignis honoribus
Frui, Christum cum doctrina sua cæteris
Et infimæ sortis linquamus hominibus,
Nos ipsi mundi seruiamus Principi. |
P O R. Dispeream, si non hoc consilium est optimum,

Nec

Primus

Nec unquam uidi melius consilium dari.

PAM. Is si alios nobis haud quaquam pares, suo

Fouet regno, magnisq; eos honoribus,

Potentia, diuitijs beat & nomine,

Non dubito quin nos sit factururus maximi.

PO. Deū immortalem, hæsuo quid admirer magis

Fortunam ne, an mortalium prudentiam ?

Hercule nulla salus poterit nec foelicitas

De esse, si non consilium de fuerit. Hinc

Longe optimus est, cui semper consilium est domi.

PAM. At in Christi sicut uides negotio,

Inopes, afflicti, & numerus duntaxat sumus,

Quos omnium oportuit esse populorum caput.

POR. Magnifice sentis, fortuna modo dextera

Aspiret, cunctaq; sint è medio obstacula.

PA. Quod Satanas dabit, At quæ sunt Christi præ-

Dabit, quotidie ut uerser in periculis, præ-

Quotidiana, & conficiar sollicitudine,

Labore quanto potior, tanto abiectior

Vt sim, degamq; prorsus hic inglorius.

Egregia eiusmodi sunt Christi præmia.

POR. Recte hoc uel tandem pater intelligis. Haud

Vixit, pusilli qui animi nulla posteris (bene

Vitæ suæ reliquit monumenta, tenebris

Aut deditus ultro, aut impotens emergere,

PAM. Non amplius illa me spe protrahi sinam,

In regeneratione fore laboribus

Nostris mercedem. Nunc ego bonis perfrui,

Actus.

Et presentes fructus malo decerpere,
Post mortem incerta quum sit res & pendula.
Ne quis hians priuetur simul & presentibus
Atq; futuris, risumq; cunctis præbeat.
PO. Et quis scit tandē, an nostra resurgant corpora,
Cum reliquis perpetuo pereant animāibus? (aut
Certe nulla hoc poterit ratio concludere,
Eadem numero redire corrupta semel, &
In idem destructam restituī substantiam.
PAM. Pulchre dicis. sed heus te quæso Porphyri,
Ioco ne an serio mea laudas omnia?
POR. Non serio laudem pater? Quid est magis
Tua meoq; ex usu, quā quod prædicas
Et instituis? Quin etiam omnibus Ecclesijs
Ornamentum decusq; haud uulgare adferet,
Tantum ut cœpisti perge fortiter aggredi.
Non poteris errare, neq; uel hoc delinquere.
Fas omne nefasq;, & legum in mūdo quidquid est,
In pectoris tui uersatur serinio.
Ut omnium tibi cedat merito autoritas
Si quando homines (ut sunt complures improbi
Quos hæretica mouet & agit. t. insania)
Facta tua reprehendere uellēt, quæ a spiritu
Longe letiori proficiscuntur, quā quæant
Terrestria capere ingenia mortalium.
Quare age, magnum tibi me adiutorem possides,
PAM. Si quidem istuc diceres ex animo Porphyri
POR. Disperiam, si non uera & ex animo loquar
PAM. Ania

Primus

P A. Animum auges. Iam nunc mea quæ sit sententia
Palam cognosces, & quid te facere uelim.

Non placet ita humi serpere, nec nomen Episcopa

Sine magnis arridet retribuis, Vnde me

Humo tollere constitui, quocunq; poterit

Modo, et ad id conari &, quo præferar omnibus

Qui in mundo sunt Episcopis, & maxima

Auri argentiq; uis congesta suppetat.

Deinde & regia cognoscere negocia,

Omnescq; subiectos habere Principes,

Magnificū & dulce erit, ut timear ab omnibus,

Nullusq; diu mihi audiat resistere.

In his operam mihi tuam naues Porphyri,

Rationem quæras, Scripturasq; contrahas

Vt conficri possint, ne plebis intelligat

Fauore mundi concinnata Principis.

Christus enim in his linquendus est conatibus,

(Vt dictum est) interim tamen Christi uolo

Secūtor dici & haberi longe maximus.

P O R. Ardua quidem sunt quæ insituis, tuæ tamen

Nil arduum dici debet prudentiæ.

Facile assequere, Non decrit ratio, neq;

Scripturarum refragabitur autoritas,

Præsertim si illas paululum contorseris,

Solumq; te uerum dixeris interpretem.

P A M. Recte, ita uiuam, moneas. Ius omne scilicet

Scripturas exponendi præsumam mihi.

Vt omnis ex ore meo manet concio.

Actus

POR. Id per quam utile futurū est. Si quis quippiā
In te iaculari ausus fuerit indignus.

In inferos ut hæreticum submergito.

PAM. Oportebit prorsus. Sed metuo Cæsarem,
Ne non sinat ad id ascendere fastigij.

POR. Quē metuis? Cæsarē? Nemo metuendus est.
Sed contemnendum quidquid est potentia.

Neophyto Cæsari nullo negotio

Potest imponi, nobis à doctoribus.

Aut si omnino molestus esse cæperit,
Ad inferos triplici tradatur fulmine.

Regnum eius subneruetur & deponitor.

Inuenies alium regnandi libidine

Tumidum, qui tibi sit concessurus omnia.

PAM. Diuinum & efficax consilium Porphyri.

Nunc nihil est scrupuli. Res ipsa cætera

Doccet, & quotidiano usu doctior

Fiam. PO. Haud dubiū, usus suppedabit plurima.

PAM. Cur ergo non mox supplicatum pergemus

Ad Satanam, eiusq; postulamus gratiam?

POR. Vbi uis, nihil moror. Inter eundum latius

De rebus his, ut dignum est, commentabimur.

Porphyrus, Pammachius.

Iulianus,

Sed quid ais? Num ipsum conuenire possumus
Satanam? aut ad illius eundum est uicarium?
Ad

Primus

PA, Ad illum ipsum, quippe solutum arbitror, ut
Exploranti annos tradidere calculi. (mihi

Sed in ipso apparebit an ita sit collegio.

IV. Templum obseratum mirūq; est silentium.

Forsan domi est, & instat lectionibus.

POR. Hem Cæsar obuiam, Te quærit Pammachi.

PA. Videtur, sic huc recta gressum dirigit.

POR. Si placet, illius obliquè tentemus animum.

An quæ decreuisti, concedat omnia.

Si difficilis fuerit, eam mox pergito

Quam mōstrauī uia, tum ultro aderit supplicans.

PAM. Suades probe. Tuis nunc utere artibus,

IV. Eccum à domo uenit cum Porphyrio. Bene est.

PA. Salue imperator. Mene quæris? IV. Te pater.

PA. Quid est noui. IV. Nihil equidem. Pacem tibi.

Tuisq; in omnibus datam prouincijs

Dicere uolebam. Iam potestis liberos

Vbiq; habere conuentus, & omnia

Interrite uestra peragere mysteria.

PAM. Bona nuncias, quæ tamen ab alijs antea

Audiui, at te referente cerciora sunt

IV. Sic ego me erga uos gratum uolui ostendere.

PAM. Laudo. IV. Reducētur quam primū etiam ex

Et ablata illis restituentur omnia. (ules

PAM. Pie facis, & ut Christiano conuenit.

IV. Nonne satis me scæcisse putas? PO. Pro exordio

Quidem imperator non nihil est, sed conferes

Quotidie si sapias maiora, ut gratior

Actus

Semper filius appareas Ecclesiæ

IV. Adnitar sedulo ne ingratus criminer.

Dicite duntaxat si quid uultis, in quibus

Mea uobis ferre opem poterit clementia.

(Salua regni maiestate tamen) omnia

Patres mei seretis liberaliter,

POR. Laudanda sunt hæc uerba, sed facta amplius.

IV. Quæ uerbis dico, factis quoq; probaui.

Est ne aliquid quo indiges pater? PO. Etiam rogas?

Per multa sunt. Sed hic per paucis hæcenus

Contentus esse didicit, nec frequentibus

Voluit precibus molestus esse Regibus.

Sperans ipsos disposituros optime

Etiam ultro, quidquid postulat necessitas.

IV. Data pace & tranquillitate liberis,

Et libertate damnatis, quid amplius

Vobis uictu prouisis atq; uestibus

Desit, nisi dixeris, quo pacto intelligam?

Dic Pammachi. PAM. Quid dicam Caesar nescio,

Non quero grandia, uita instructus paupere,

Nec occurrit quid primum aut ultimum petam.

PO. Ut dixi, hic homo simplex est, et quæ dominij

Pecuniæ, literarum est auuidior,

Vos ipsos esset cogitare iustius

Quibus in rebus iuuandæ sint Ecclesiæ.

Et quæ præmia reddandæ sint doctoribus.

IV. Multæ sunt cogitationes Caesaris,

Nec solus tamen omnia potest & singula

Primus

Pro conditione & dignitate debita,

Aut cogitare aut commode componere.

Vnde ministris opus est & suggestoribus.

Tu suggere Porphyri, quid concedam amplius.

Nam te haud reor ita inexpertū esse aut simplicem

Vt nescias, quid uobis atq; Ecclesijs

Conueniat, & quibus concessis maxime

Triumphetis. Ego in id incumbam perfortiter

Ne ingratitude succumbam crimini.

POR. Si uis pater dicam, & compendio quidem

PA. Dicio. PO. Primum Cæsar post concessa hoc

Omnnes ubiq; efflagitant Ecclesiæ, ut (dari

Immunes sint & à liturgijs uacent.

IV. Quos nominas Ecclesiarum nomine ?

Populum ne, an Doctores omnis & Episcopos ?

POR. Episcopos inquam & doctores plebis, &

Quicunq; clericorum splendent nomine.

IV. Illis facile potest concedi immunitas,

Etiam si rebus detrahatur publicis.

POR. Deinde Episcopatus omnes maximis

Ornes opibus, & Principum substantia.

IV. Ah quid ais Porphyri ? Ego uobis concessero

Quod ad uictum satis est, Et si hæc quæ contuli

Non sufficiunt, addam maiora Porphyri.

Ad quid uobis tantas opes Doctoribus

Queritis, ut uel magnos æquitis principes ?

Plurima magnis (ut sis) in sunt malæ opibus, &

Illis raro bene uti norunt pauperes.

Actus.

Ad dimissa doctrina & codicibus Sacris,
Litibus, equis, iudicijs atq; fastui
Operam dabitis? Non sunt hæc uobis (credite)
Vtilia, nec patrem talia puto quærere.
P.A. Cur non quæram? Nemo diuitias iustus
Aut quærit aut possidet, atq; hi qui alios docent.
IV. Nouum dogma totusq; ignoratum sæculis.
POR. Quæ dico (si me audis) dare non grauabere
IV. Deliberabo Porphyri in re tam ardua
Nec quid sine meorum consensu Principum
Vobis dederò, quod auferendū sit alijs.
POR. Et omnes quum sic sint donati Episcopi,
Romanus longe opibus ante eat cæteros.
Splendoreq; uincat omneis & potentia.
Possideat Romam & uniuersam Tusciam,
Et Episcopatus omneis illi seruiant.
Ex omni imperio conuertrat pecuniam, &
In cunctis sua negocia agat prouincijs
Tu o iussu, nec sit qui contra tustiat.
Doctores sic Ecclesiasq; promoue,
Ecclesiæ ut dignus dicaris filius.
IV. Iocaris Porphyri, nec talia quæritis.
Dic serio, in quibus uos ornem rebus, ut
Doctrinæ nulla prodeat obstacula.
P.A.M. Quid semper mentionem doctrinæ facis?
Doctrinæ tum demum accesserit autoritas,
Cum nos sublimes & prælatos omnibus
Conspexerint homines. Tum non (ut hæctenus)

Primus

Docentes nos irriferint, neq; manibus
Auriculas asini sinxerint, sed cernui &
A longe doctrinam nostram susceperint.
P O. Sic est. Quapropter haud ioco isthuc querimus
IV. Serio igitur. P O R. Profsus. I V. Reuocate
(patres mei animum

Nec uestræ huc cogitationes incidant.
Maiora queritis, quàm Episcopus decet.
Episcopi doceant, & uerbo ecclesijs
Præsinu, uerbo hortentur, uerboq; corrigant,
Sanam si quis contra doctrinam uixerit.
Pecunias opesq; auari congregent,
Dominentur Principes, Ducesq; militent,
Romanis Tusciæq; Cæsar imperet.
Sic ordini quisq; suo fecerit satis.
P O R. Ho ho, etiam nos docturus Cæsar aduenis?
An nos doctores esse ignoras, tam tuos.
Quàm Christianorum omnium? Nos audias,
Nobis obtemperes, si Christum diligis.
A nobis disce, quo pacto suo ordini
Quisq; satis faciat. Non exoriare denuo,
Qui nobis præcepta det aut quidquam corrigat.
P A. Recte. I V. Satis superbe aduersus Cæsarem.
Si non uestræ essem fidei, haud sic contemneres:
Scio uos esse doctores, quos audiam
Si sana docueritis, secus si morbida.
Nulla εἰς ἄπ' εἰς ὅσον ligat obedientia.
Achillis audi Porphyri sententiam

Actus

Euripid .
in Iphis
genia in
Auli de

ὦ φίλοις ἀτρεΐδαις ἤρ' ἔμυ ἠγύοντα καλῶς

ὡφείλομαι, ὁ γὰρ δὲ μὴ καλῶς, οὐ πείσομαιθα

Huius & ego sum (ne quid erres) sententiæ.

POR. Is scilicet tu es, qui doctrinam iudicet

Ansana aut morbida sit? IV. Non ego? bone (sed sa

Ostendent literæ sanum atq; morbidum. (cræ

POR. Et eas tu intelligis? Mox te, quantum quidem

Video, damnabili inquinabis hæresi

Volens Scripturas aliter intelligere, quam à

Sacra Romana permittitur Ecclesia.

IV. Tu homo fere mihi stomachum moues. Tibi sua

Linguae imperes tuæ, nec ita clementia (deo

Abutaris mea atq; mansuetudine.

Dic mihi Pater, quæ postulat hic, num postulat

Tuo ex animo? PA. Sic iussi. IV. Iussisti? O Deum

Immortalem, Romam Tuscosq; postulas,

Cur non etiam imperium omne postulas simul?

PAM? Et id meum erit, à me instituentur Cæsares,

Ex pectoris omnes emanabunt scrinio.

IV. Quod scrinium mihi narras? PA. Nempe illud,

Quo cordis sancta prodeunt mysteria. (ex

IV. Et ex illo instituentur (inquis) Cæsares?

PA. Prorsus. ut ut libuerit. IV. Te quæso Pammachi

Conatus istos & studia deponito.

Te digna postules, beneuolum me tibi

Experirre, neq; tuas auersabor præces.

Ornare uolo Doctores & Episcopos,

Sed ita tamen, ne me pessundent, aut super

Primus

Me ascendant, & regni teneant fastigium.

Quis Deus hoc tibi suggestit, ut tam incongrua,

Absurda & in audita hactenus, proponeres?

Quis Caesar rexue est tibi concessurus sua?

Largitur prudens quisq; ne ipse postea

Egeat, & mendicus aliorum adeat fores.

P O. Nobis eundem est pater. Hi: nil tibi (ut audio)

Concedet dignitatis aut potentiae.

IV. Rem tangis, nec opus est. Hoc mihi dicas uelim,

Petrus & quotquot fuerunt ante te Episcopi, (an

In hoc unquam proruperint superbiae,

Vt & Tuscis & Romanis dominarier

Vellent aut conarentur? An Episcopis

Se cunctis praeulerint? An opibus studuerint;

An se Caesareis miscuerint negocijs?

P A M. Fatui fuerunt antecessores mei.

Nec sacros studiose euoluerunt codices.

Vnde pusillanimitate ducti & inertia,

Doctorum non intellexerunt munia,

Nec ad magnas res nisi sunt ascendere,

Ad quod tamen Euangelium hortatur. At mihi

Nil crassa eorum praedudicat inscicia.

IV. Quod illi in Euangelijs tot iam seculis

Non reppererunt, uos ipsis cornicibus

Oculatiores tandem effoditis? Quis hominum

Audiuit unquam Euangelium dissoluere

Politijs, & adimere regibus imperia? Vbi

Docet ambitionem, auaritiam & superbiam,

Actus,

Quæ uos iamdudum parturire intelligo?

PAM. Non est quod multa de hisce rebus disputes.

Ne ophytus es, nec res mysticas intelligis.

Sinon cōfers sponte, ast inuitē conferes.

IV. Coges ergo me? PA. Prorsus. IV. Forte exercitu?

PA. Non. IV. Scio, meos captiuos duces subditos?

PA. Nequaquam. IV. Exures forsitan prouincias?

PA. Neq; hoc. IV. Quib. ergo me expugnabis machi

PA. Paulo post curiæ Romanæ practicam (nis?

Persenties, quam omnes timebunt Principes:

IV. Pereat male, quæ imperium turbarit practica,

Adeo ne omnis religionis seruor tibi

Excussus est, & prior interiit tam cito

Probitas, ut facias male qui tibi faciunt bene?

PO. Miseret tui me, qui patri haud obtemperes

Eumq; his dictis facias inimicum tibi.

IV. Tua cesset miseratio. An in hoc uos audiam?

Quis non uidet uos desipere præter modum?

Proferte practicam cunctasq; machinas,

Nec tamen imperium Episcopis concessero.

PAM. Videbimus quid facti opus sit postea.

IV. Videte. Nil me uestræ perterrerent minæ.

Et nisi meliora cæperitis consilia, mox

Exercitu huic posuero maliciæ modum.

POR. Eamus pater, haud prodest hæc contentio?

PA. Crede mihi Cæsar, si uiuero. IV. Non me minis

Vinces. Abito & pereas male. PA. Tu pessime,

Sed heus, legiones quas potes huc adducito.

Iulianus

Primus,
Iulianus.

Nisi me fallit animus, magnum isti homines da-
bunt

Malum. Quid enim ultra sperem, quando Episcopi et
Doctores tam peruersa cogitant? Quis est

Qui non hinc fidei calamitatem surgere
Existimet? Aperte dicam quod sentio.

Non à Deo isthæc consilia profecta sunt.

Nec Episcopi conatibus his, Christi uiam

Aut quærunt aut inueniunt. Quin potius mali

Mendaciorumq; pater isthæc suggerit,

Ad eumq; cogitata tendunt omnia.

Et mirum fuerit, si non hoc ipso itinere

Vt œstro exagitati ad Satanam perrexerint:

Adeo nullis ab incepto sermonibus

Diuelli possunt, Et nobis tam incongrua

Negantibus (ut imperij maneat dignitas)

Tragicum quiddam minantur. Tantum audaciæ

Doctores incesit nec non Episcopos,

Auersum Cæsares ut contendant minis.

Armis possem quidem his minis ire obuiam.

Sed Episcopos lædere uidetur impium.

Verum ego tantum ex illorum uerbis colligo,

Si possent quod ego, nequaquam mihi parcerent,

Heu quid futurum est, si deorum quispiam

Illorum consilia promoueat prosperè?

In cunctis primum oues errabunt montibus,

Sedebunt ociose pastores domi.

Ludent.

Actus

Ludent, bibent, habebunt curam abdominis,
Ut nil malorum de puluini excitet.
Etiam si deglubantur oues, quam uis fame
Pereant, aut in mortiferis degant pascuis,
Illis supinis collibebit stertere.
Ridebunt, si quam deuorari uiderint.
Et ex carum interitu quæstum colligent.
Sic tunc ferentur res. Sed utinam mentiar,
Et doctores sua hæc consilia corrigant,
Suis contenti sint nec maiora ambient,
Instent doctrinis, & curent Ecclesias,
Sed obstinatio hæc uix cuiquam cesserit.
Et corrugata frons, & quassatum caput,
Oculi ardentes toruiq; uultus pallidus,
Effrenis & præceps lingua, labia tremula,
Vix hercle quidquam præ se ferre solent boni.
Heu pax quam bona mortalibus es possessio.
Si firmis modo te ferre possint tibijs.
Quippe (ut prouerbum est) scælicia tempora
Successusq; bonos, haud quiuis ferunt pedes.
Multi rebus in aduersis se gerunt probe,
Qui in pace plerumq; applicant sceleri manus.
Situ ut metalla contrahunt rubiginem,
Sic, ni subinde agitetur, integritas perit.
Nam quamuis persecutiones Gentium
Ecclesias affixerint grauissime,
Effecere tamen, ut maior constantia,
Pietas, probitasq; fuerit in credentibus.

At ista

Primus

At ista pax quam Christianus contuli,
Mulum (ut conijcio) Christianis adferet
Mali, ut auaritia flagrent, ut socordia
Tacti suorum obliuiscantur numerum, ut
Superbia, ambitione, & mundi gloria
Tumcant, ut inflentur, dominandiq; scabie.
Mirum in modum agitentur. Non huc opus
Remota adducere exempla, uel Episcopi
Petita, dictis suffragantur cominus.

O quoties nos fallimur homines, & irritas
Sententias dicimus, abstrusos cordium
Ignorantes motus. Quis unquam Episcopos.
Doctoresq; putasset conari talia?
Verum esse sentio quod loquuntur rustici,
Quo sanctior quis, hoc est impius magis.
Nec delictis docti communibus student.
Quippe & Satanas artifices eligere solet
Haud imperitos rerum, sed doctissimos.
Sed quid cesso ire domum? ut haec Nestori meo
Communicem, & discam, quo pacto horum minae, aut
Spernendae sint, aut propulsandae fortiter.

Porphyrus, Pammachius

E Nimvero pater, Iratum tu Caesarem
Liquisti. Nonne uides quantum deliberet?
Quam spargat huc illucq; manus, quam iactitet
Caput; P. A. Video, & prouerbis duntaxat. Quid
Deinde facturus, quum facta senserit? (est

POR.

Actus

POR. Excruciabit sese mirabiliter, scio.

PA. Bene habet. Docendus est, quam sint Episcopi & Doctores omnes digniores Cæsare.

Iam tibi mox impetrata Satanae gratia

Illud negocij do ut omnes subditos

Ab illius soluas obedientia.

POR. Satis quo pacto id fieri possit calleo.

Agnos tibi mitiorem dederam Cæsarem,

Videbis ipse & practicam mirabere.

PAM. Eiusmodi in illo exempla, Porphyri, edito,

Ne quis posthac mecum audeat contendere.

POR. Oh nil opus est iussu, confectum credito.

PA. Et ut cunctis nostris faueat conatibus

Gladio utatur nostra solum ex sententia, &

Sua omni nobis seruiat potentia.

POR. Incumbam, nec quidquam diffido confore.

PA. Tum rerum si illum habemus factorem omnium

Ac promotorem, cæterorum opponere

Se audebit nemo, Ab omnibus laudabimur.

PO. Pulcherrime. PA. Sed hoc curandum ante omnia

Seruire nos Satanae nullus ut intelligat.

POR. Christo duntaxat seruiemus nomine,

At facta Satanae ex officinis prodeant.

Quæ Christiano sunt tegenda pallio,

Vt imperitis imponatur callidè.

PA. Bene consulis. Imposturis opus est maximis,

Ne populus abominetur nos atq; fugiat.

Nec enim tales unquam ferent Episcopos,

Qui

Secundus

Qui satanæ seruiant, si cognoscant modo,

Hoc anteuenire conuenit periculum,

Ne descendamus, dum uolumus ascendere.

POR, Nulla Satanae fiet mentio, sed uel Dei,

Vel Christi cuncta sunt fucanda nomime.

PA. Scit. PO. Illud populus suscipiet, uertēs bene

Quæ egerimus omnia. PA. Pulchre. PO. Scripturis

Res defendemus nostras quàm fortissime. (quoq;

Nil de sanctissimis ut cogitent mali.

PA. Laudo. PO. Nos interim cutem curabimus,

Statuemus, ordinabimus, mandabimus,

Quæ faciant in rem nostram, Pammachi pater.

PA. Hoc unum restat, hæc consilia ut sunt bona,

Ita quam primum sunt perficienda Porphyri. POR.

(Hem

Quid currenti addis calcaria? PA. Tu promaue

Ac commenda me Satanae. Virtutes meas

Narra. Magna tibi habebitur à me gratia

Apud me primus eris. PO. Bene ego pro te loquar.

D

ACTVS

ACTVS SECVNDVS.

Satanas, Veritas, Parrhesia.]



Vod mundo & impijs. felice
faustumq; sit,
Adsum profectus e' profundis
manibus,
Grauibus post annos mille so-
lutus uinculis.

Certe diu desideratum me scio.
Non cuncta possunt conficere uicarij.
Non tanta sunt autoritatis. nec eadem
A subditis solet impendi reuerentia.
Plus irati ualet conspectus Principis,
Quam armati sexcenta uicarij minae.
Idem etiam permultum placatus promouet,
Seruum gaudent intueri Principem
Et serui & subditi, quos nulla criminis,
Tecta aut aperta uexat conscientia.
Isthæc apud probos sunt uera Principes,
Apud improbos magni sunt deterrimi,
Qui etiam in regno primas ubiq; tenet meo.
Illis ego hodie apparebo optatissimus.
Cui nec uiso quidem iam seruiunt diu.
Sed ubi primum meos quæram uicarios?
Quid agant miror, quod non ut semper hæcteius
Quotidiana ad me regni gesta perferunt.

Secundus.

VE. Quandoquidē isthuc Christo placet Parrhesia,

Collectis spelea subeamus sarcinis,

Quoad melior spirauerit aura. Nil moror.

Regnet Satan as late in suum ipsius malum.

Fortasse olim rursus desiderabimur.

PAR. Nisi profusus res Deus humanas sternere uelit,

VE. Tolle hæc & sequere. Sed uideo ne Satanam?

Vt exultans ingreditur, & solus quidē. PA. Is est

VE. Nescio. Cedamus illi paululum e uia.

Nectam furiosis obsistamus motibus.

Silentio prætereamus. SA. Sed Veritas

Ante omnes. At me meorum cerno neminem.

Ho ueritas, alio nunc migras forsitan?

VE. Nil respondeas. SA. Recte isthuc cogitas.

Quid enim tu hic facias, me imperante cum meis,

Vbi etiam si quid dixeris rectissime

Obtemperat nemo? PAR. Haud propter te pessime

Abimus, sed Christi paremus iussui.

VE. Tace. PAR. Ingredere, sarcini mundū mendacijs.

SA. Id fiet, etiam si tu minime iusseris.

PAR. Diu desideratus es à perditis.

VE. Tace obsecro. SA. Scio. Vlnis excipiar obujs.

PAR. Cur non te comitantur proceduntue obuam?

SA. Sunt occupati, meq; uenire nesciunt.

VE. Quid multa loqueris? Sequere huc. PAR. Ali-

(quando simul

Poenas dabit. SA. Id perlongum est. Nos interim

Pro libero nostro uiuemus arbitrio.

Actus

Abite, Nil prodestis hic, nec filie
Alterius apud me unquam ferentur seculi.

Dromo, Satanas,

Vicarijs magna hercle sunt negocia
Hodie, ut non possint conuenire Principem.
Nec res adeo bene gesta est, ut properent. Mihi
Ut perferam dedere, quam nil sit lucri.
At ubi bene geritur, tum currunt percite,
Alius alium anteuenire cupiens pro lucro.
Bona nunquam ad me deuoluitur prouincia.
Sed quando oēs timent, tum ego extrudor miser.
Verum ne uapulem currendum est. SA. Sed Dromo.
Hem Dromo. Quo curris Dromo? Mane mane

(Dromo,

DRO. Quis me uocat? SA. Huc ad me aio, quam
i (primum redi.

DRO. At at princeps est. Certe rupit uincula,
Captiuitatem tam infinitam non ferens,
Te saluum & liberatum Princeps gaudeo.

SA. Credo. Quo currerebas nunc? DRO. Ad te. SA.
(Salua ne

Sunt omnia? DRO. Non prorsus. SA. Quid ais?

(Non? Vbi manent

Vicarij, quod eorum nullum conspicio?
Nec quisq̄ hodie ad me descendit? DRO. Se maximis
Teneri atebant rebus, nec latum pedem
Terris abscedere posse sine periculo.

Quā

Secundus

Quamobrem me ad te destinarunt nuucium.

SA. Quid nuncias ergo? DRO. Regni omnia habent bene

Nisi. SA. Nisi? Quid illud est? DRO. Quod quisdam Episcopus

A regni societate auulsit Cæsarem.

SA. Hem Cæsarem? Et id neglexerunt uicarij?

DRO. Quo pacto factum sit nescio, non adfui.

Ex ipsis melius audies. SA. Mox igitur huc

Ad me illos conuoca. Quid stas? Vola ocyus.

O perfidiam, socordiam, & oscitantiam,

Non curant, non resistunt, non pro uiribus

Absente me regni tractant negocia.

Haud modicum regno meo nocuit captiuitas:

Non potui captiuus tot par esse populis.

Præsertim noua quum Christi cepit crescere

Fides. Iam oportuisset esse in Affrica,

Nunc in Asia, iam in Europa. Sunt regna, sunt

In omni regno ciuitates plurimæ.

Quas uisitare quotidie, non unius

Vel uigilantissimi est labor. Quare Duces

Absenasq; mei constitui uicarios,

Quibus uniuersas res credidi & exercitum.

Qui sibi deinde procrearunt plurimos

Tribunos, ac centuriones, qui non minus

Etiã ipsi seruos, uulgus innumerabile

Iam possident, ut spes me haberet optima,

Haud secus à tot res omnis procurarier,

Actus

Ac si ipse semper essem presentissimus
Sed quod dicunt uerum est. Quo plures quippiam
Curent, eo curatur negligentius.
Et si dormiturit Princeps, iam stertere
Incipiunt praefecti, & sopor occupat duces.
Mane nisi primo rector surgat adium,
Parum oscitantes promouebunt seruuli,
Hac, si licuisset, essem usus prudentia,
Nec res meas commissem uicarijs,
Nec regni ueniens uastitatem cernerem,
Veniant. Omnem hanc uomam in eos aegritudinem.

Planus, Srafiades, Chre-
mius, Satanias.

Quid isthaec quærimus? quasi non tempus fiet
Eum post annos mille reddi liberum?
Eamus potius, ne ignis igni addatur, &
Irritata nimis noceat iracundia.
ST. Recte inquis. Verbis est placandus mollibus.
Non tarditate nostra, aut contumacia
Exasperandus. PLA, Adsumus Princeps, tibi
Aduentum in primis gratulantes prosperum.
Deinde etiam audituri, quid nam nos uelis.
SA. Mittamus nunc alia. Quod me mouet loquar.
Quid tandem est o Duces? Aut cur permittitis,
Ut negligentia (dicam) aut socordia
Populus desciscat uestra? Vestras hercule

Secundus.

Iam proffus uirtutes desidero. Parum
Aberat, omnes ut ad nos uertissent pedem,
Tot pœnis, tot periculis, tot mortibus
Acti, qui soli nobis sunt contrarij,
At res per uos sursum ac deorsum uertitur.
Aequum ne est, me diu noctuq; sedulo
Instigando, monendo, terrendo quoq;
Manibus, pedibusq;, & mille calliditibus,
Quanta harum uincto potuit adesse copia,
Imperij nostri promouisse commoda,
Vos interim altum stertere ? Proh pudor. Duces
Quos primos actores rerum esse conuenit,
Recondunt ociosas in sinum manus.
Condigna an uobis non possum persolucere
Præmia ? an ita hæcenus de uobis meritis ? Aut
Eam tandem uos gratiam rependitis ?
PLA. O Princeps mûdi atq; Monarcha potentissime
Quid nos seruitui curauimus minus ?
SA. Rogas ? Qui talem nuper hominem auissimus
Ignauia uestra ? Fautorem æquissimum
Simul & propugnatorem strenuum imperi ?
Aliorum utinam decem perisissent millia,
Atq; hic unus uir (heu) regni nostri anchora.
Nunc propterea uos constitui uicarios,
Ut ea que nullius sunt præcij, callide
Custodiatis, & perdati optima ?
PLA. Non macares te mundi Princeps optime,
Nostrarum haud erat, illum tenere uirium.

Actus.

SA. Quid audio? Vbi igitur artes uestræ pristinæ?
An ea dediscitis sola in quibus est lucrum? Et
In quibus omnia regni consistunt commoda?
Non post tot annos exeunti carcerem,
Iucundum isthuc primum expeditis nuncium.
In mille annis nihil factum est indignius.
Audiui multa, haud admodum ex sententia
Tuli. Sed grauius est hoc quam ut ferri queat.
O interitus regni, rerumq; uasitas.
Vir ille Christianos, hostes maxime
Infestos nobis, debellabat fortiter.
Nos uenerabatur, nos colebat hostijs,
Aduersis inuocabat nos & prosperis.
Que nolebamus per nos exequi, impiger
Currebat ultrò. Vel solo hoc laudabilis
Facto, quod antesignanum Christi, uirum
Fortem Paulum, haud contemnendum aduersariū,
Qui multas deprædatus est prouincias,
Complures Regi adducens milites suo,
Prostrauit, Nunc & ipse negligentia
Seductus est uestra. PLA. Seduxit Episcopus
ἄκαταβλητῶ λόγῳ. SA. Resistendum fuit
Vel mille technis, PLA. Equidem, Princeps optime,
Quantum in nobis fuit nil omissum scio.
Nam uerba sumus interpretati pessimè.
Et Regnum & dignitates inculcauimus.
Largis præterea est inuitatus præmij
Animum erga nos conseruaret ut immobilem,

Sed uicit

Secundus

Sed uicit fortior, uicit potentior,
Hanc diruptis feram eripuit e castibus.

SA. Parum profecto uobis est negocij
Cum subiectis & sponte seruientibus,
Vt uniuersis hostes possint copijs
Terreri, & integro uexari exercitu.
Violentis ut cedant impressionibus.

STA. Faciemus Princeps, ut iubes, ac fecimus.

SA. Fecistis? Heu heu quanta de spe decidi.

Qui Christi nomen extingui sperauerim,
Per uos ita uersipelles & doctissimos
Posse, nec (ut nunciastis) aberat plurimum,
At nunc repullulat surgitq; fortiter.

(Quod male uertat) Per hoc regni sceptrum, per &
Caput hoc sacrum, quantum fuerit potentie,
Quantum roboris altissimarum uirium,
Et Christum omnesq; Christianos persequar.
Illorum me usq; ingurgitabo sanguine.

Donec nemo sit qui audeat resistere,
Vel solus, si uobis graue est aut displicet.

PLA. Non hercle, Princeps maxime, bonorū dator
Præstabimus quod in nobis est strenue.

SA. Ad hoc uel iusiurandum a uobis præstitum
Commoueat, & pudor, & mei reuerentia.

Per hanc ante datam uobis oro dexteram,
Vigilate, circumuite, satagite, quærite,

Resistite, ac pecunijs corrumpite,

Persequimini, Satanaq; dignos Principe

Actus

Vos gerite. PLA. Fiet. SA. *Quenam hodie negocia
Tractastis? Tu. Plane quid? PLA. Ego equidem
iam diu*

*Sudavi in hoc (regno nostro utilissimum
Sciens) ut inter Christianos heresim
Sererem quam maximam. Sudavi plurimum,
Perfeci hodie. iam mista uideres omnia,
Dubitant, decernunt, persequuntur inuicem,
Fugant, occidunt, sua defendunt maxime,
Pleriq; nouis gaudent, antiqua deserunt,
Quaecunq; ab Apostolis feruntur tradita.
Magistri plebis, & qui sunt doctissimi,
Præ sana doctrina amplectuntur heresim.*

*At contra increduli rident suauiter,
Abominantur Christum, & respiciunt fidem,
Tam uarijs quæ laceratur opinionibus.
Nec melius eos putauisse uincere,
Quam si inter sese plurimum dissentiant.
Sic res, quantum ad nos, bene habet. SA. Euge, pro-
Succesit, q̄ habeo mercedem dabo maximam. (Speret*

*Quid tu uero Stasiades? Equidem & tu soles
Facinora perpetrare quam fortissima.*

*STA. Ego, Princeps, hodie surgendo lentius
Gressumq; promouendo tardius, parum
Peregi. SA. Quid? (malum) Hoc ipsum est quod
Vos lentulos esse atq; tardiusculos. (conqueror
Sed effare quid egeris. STA, In urbem maximam
Circa nonam ueniens, populares conuoco,*

Quid

Secundus.

Quid (inquam) ò socij, tam graue suffertis iugū?
An non parentes uos genuere liberos?
Cur ergo seruitis? Cur suppeditamini?
An non est uestra ciuitas? Et flumina
Sunt uestra, ui. e. q.; Quid ergo uectigalia,
Census, tributa, exactionesq; spoliant,
Substantiam uitamq; uestram? An hoc leue
(O ciues) libertate priuari & bonis
Si uul? Diurnis quidquid uos laboribus
Sudoribusq; perpetuis acquiritis,
Vel una isthuc consumunt coena Principes
Magistratusq; uestri δ'κ'υ'ο' ρ'ο'ζ'ο'ι. Interim
Vos longe uictu uiuitis miserrimo.
Copia utinam panis uel fursuracei
Famem expleret uestram, suumq; aqua frigida.
Quotidianis at illi semper diffluunt
Ad nauseam usq; uoluptatibus, è reculis
Vestris coemptis. Licet & stertere pinguibus,
Et pederè ociosis. Satius bestias
Esse, atq; sic uiuere, ut aliquis laboribus
Marcescat proprijs, cæteri alienis cutem
Fœliciter curent. Quin tandem surgitis,
Libertatemq; pristinam capestitis
O ciues? Vbi uirilia uestra pectora,
Paterna q; uirtus? An libertatem à Deo
Datam, à mortalibus tolli patiemini?
An nescitis, quantum libertas sit bonum?
En magna uestrum multitudo est. Hercule

Iniquum

Actus

Iniquum & poenitendum, à paucioribus
In seruitutem redigi. Vobis arma sunt
Viresq; ingenue, illis mollities officit
Viresq; effeminate, & insueta manus
Armorum. Vos bonam, illi causam pessimam
Habent, cui & cœlestes aduersarier
Vobisq; suppetias ferre est certissimum.
Nonne ante uos tulere Atheniensibus,
Romanis, Lacedemonijs & compluribus
Alijs? Quod si uobis ipsi defueritis
Nunc, quum tale nihil suspicantur, postea
Quum angustiati? afflicti, oppressi? perdit,
Et seruitute, & grauibus deniq; oneribus,
Flentes clamaueritis, adiuturos Deos
Nolite sperare. Neq; enim illos audiunt
Qui negligenter ipsi & male tractam sua.
Hoc iam iam à uobis coniuges & liberi
Vestri, magnis requirunt uocibus, quibus
Aut libertatem pepereritis dulcissimam, aut
In seruitutem tradideritis perpetim.
His & alijs dictis moti animi ciuium,
Faces & arma corripunt. Furoribus
In curiam contendunt. Opulentum domos
Diripiunt, incendunt, prosternunt obuios
Quosq;. Tumultus clamorq; ingens uocantium
Ad pileum, expetentiumq; Principes
Magistratusq; ad poenam. At pars quæ sanior
Erat, stare à Magistratibus, occurrere

Sediciosus

Secundus

Seditiosis, cedes orta est miserrima.

His occupatus fui per integrum diem.

SA. Neq; prorsus hæc abijt sine linea dies.

At Chremi, quæ tua fuerunt negocia?

CHR. Meus equidem labor nullo frustra est die,

Quod te Princeps non latet. Omnes pecuniam

Querunt ac diligunt, Me faciunt plurimi, &

Gentes & Christiani, quorum plurimos

Dixi hodie, quo Christum iam curant minus.

Nos uenerantur, nos laudant, nobis seruiunt.

Quos puto constanciores multo Gentibus

Fore, & iam præter nomen Christi, nil habent

Tantæ quod sit professioni consonum.

SAT. Bene actum. CHRE. Præterea mea arte, ho-

micidia

Confeci mille, adulteria quingenta, nec

Furtorum aliquis est numerus. Iudicum decem

Corrupti millia. Ducentas quoq; uirgines

Fefelli, & hastis expugnaui argenteis.

Quid memorem imposturas fraudesq; maximas

Negotiatorum? Quid scribarum dolos,

Causidicorumq; technas ac mendacia

Vicem: Nobilium compilationibus

Rapinisq; laborem edmonstrauim cum.

Pigros etiam parauim uentres plurimos,

Inertia atq; fâsitati deditos.

Falsos Prophetas, nugatores optimos,

Aduatores, asinos, bestias malas.

Spectaculum

Actus

Spectaculum hercle nobis iucundissimum.
Hæc nostra tibi perfecta dedit industria,
SA. Ha ha ha, mirabilis regni nostri artifex.
Dignus profecto apud me qui primus sies.
Ita res curate uestras, premia uos manent
Maxima. Coronas interim hæc sumite.
Plane hanc nigram, Stasiades purpuream cape,
Maculosam Chremi ac pallidam. Ne istuc quidem
Laboris, mercedem desiderauerit
Condignam. Tantum agite iam diligentius
Ac confortamini, ut pro perduto uiro
Maius lucrum succedat. PLA. Res iam uertitur
(Ut spero) in cardine. Nescio quid suspicor.
SA. Non suspecto, sed factu opus est, CH. Id cenſeo.
PL. Conabimur. SA. Hac tu plane, illac uos pergite
PLA. Atat, quid hoc rei est? Quid tandem hostes
uolunt?
SA. Qui hostes? PLA. Viden? SA. Hui tam prope,
O audaciam
Insignem. Huccine rerum uenimus, ut hostibus
Tam propè ueniendi sit libido ac copia?
Manete. Experiar quid ferant negocij.

Porphyrus, Pammachus
Satanas.

Certe solutus est. Nam cum esse opinor in
Cathedra sedentē, sæuum, cornutiū, hispidum,
Vultus

Secundus

Vultu tragico, oculis horrendum flammantibus
Atq; rotundis, naso aquilino ac nodoso, & ore
Insuete largo, corpore toto aterrimo.

Hiper-
meter.

PAM. Rem tangis, is est. POR. Proh totus horreo
Pammachi.

PAM. Contemnas aspectum, donis egregius est.

Qui duntaxat semel illius aspectum tulit,

Facile uel quotidie feret illum postea.

POR. Sed Pammachi qui sunt coronati? Vident?

PAM. Regni proceres puto. SA. Non tamen uultum

Præ se ferunt, sed demissos ac supplices (hosticum

Video, quasi aliquid postulaturi sicut.

Sed audiam. PO. Et illi quam similes sunt Principi,

Ex eadem fornace ueniunt calcaria.

PAM. Accedamus. PO. Salue Princeps fortissime,

SA. Quid uos hostes apud me? POR. Quid dis-
cam? Metu

Lingua hæsitat. Sum acri uoce territus. PA. Animo

Fac præsentis. POR. Est aliquid seruis tuis

Negoeci, quod petimus clementer ut audias.

SA. Quid est? POR. Quamuis, Princeps optime,
ad hostes graue est

Verba facere, nec non impetrare quippiam

Necessitate coactos, ab eis quos prius

Verbis factisq; leseris, difficile, nos

Tamentua dexteritate ac clementia

Freti, nihil diffidimus, quin supplices

Nos tua respiciat gratia. Experti hæcenus

Actus,

Sumus insuperabilem tuam potentiam,
Atq; id nostro damno ac labore maximo.
Vidimus item quam larga tuis des præmia,
Quam splendeant in mundo, quamumque omnibus
Honoris sint, diuitiarum ac licentiæ
Quantum, rebusq; quanta sit tranquillitas.
Regnant, triumphant, & sectantur ocia,
Quibus est laboris minimum, plurimum lucri.
At nobis isthæc cuncta sunt contraria.
Despectui sumus omnibus, atq; nullius
Prorsus numeri. Paupertas infœlix premit,
Accusamur, multamur atq; cedimur.
Domus, agri, uinæ, parentes, liberi, et
Omnia, perpetuis subiacent periculis,
Recteq; factis nulla refertur gratia.
Hæc sunt Regni & Scia nostra, neq; id iniuria.
Nam quum uiuimus in mundo, quæ est insania
Tandem, ut mundi nos opponamus Principi?
Equidem obseruare conuenit Domesticos
Domus dominum, atq; nequaquam aduersarier.
Hæc cogitasse nos fuissest iustius,
Atq; tuæ ingenti restitisse potentia.
Sed quod factum, factum est in ignorantia.
Quapropter nunc ueniam precamur supplices.
Ne seruis imputes tuis. Luimus satis,
Ut qui sero sapiunt. Sed nunc consortio
Regnoq; tuo ne dedigneris iungere
Precamur, quod colere & augere gnauiter

Secundus

Pro uiribus nostris summis certabimus
Corde, opere, uerbo, præsentiq; industria,
Ne nos in infimis fuisse iudices
Ipse, sed huc usq; si uidisti strenuos
Aduersum te, nunc pro te strenuos, magis
Experiere, ut satrapis que amus omnibus
Si superiores non dici at certe pares.
SA. Fortunati uos, qui tandem resipiscitis
Vltro antequam omnem in uos deduxi exercitum,
(Quod iam statueram) quo uicti, non hoc loco
Res uestræ essent, neq; tanti apud me. Nunq̃ ego
Cruento Marte uictos, pono Principes,
(Quamuis in regno patiar) sed qui transeunt
Sponte ad me, quiq; amicitiam nostram ambiunt,
Priore post tergum relicto Principe,
Hos diligo, his omnem committo exercitum,
His communico bona que mihi sunt omnia,
Honores, diuitias, uoluptates meas.
Et quamuis nonnulli, defectores male
Suscipiant, aut certe priori Principi
Remittant, scilicet quibus haud habent fidem,
Tamen apud me (scio) ubiq; primas obtinent.
Nec mirari satis possum, quid cæteros
Hæc quam uideant, detineat, quomimur frui
Amicitia nostra uelint, aut uiuere
Sua uiter exoptent, sed spoliari bonis.
Affligi, persecutionem perpeti
Malint. Patiantur, Nec enim aliter fieri potest,

ACTVS

Vt tam rebelles in regno feram meo.

*Vos bene sperate. Amicitia mea nemini
Negata est. nec qui uoluit regni particeps
Fieri, frustratus est. Sed credite dexteris.
Et nomina uestra quæ sunt dicite ut sciam.*

POR. Pammachius hic, aſt ego Porphyrius nuno
(cupor.

SA. *Quæ sunt artes ueſtræ? Narrate, ut quid uelim
Per uos fieri, poſitis cognoscere. Equidem
Tu uideris eloquēs eſſe. Ipſe ſi uoles
Prudenter ac magnifice regni commodā
Valcbis promouere. Sed quis alter eſt?
Epiſcopo uidetur ſimilis. POR. Recte ais.
Maximus eſt. SAT. Narret ergo prior. POR. Hic*

(iam nihil

*Pro ſe dicere uult quamuis ailās eloquens,
(Nam ſingulari eſt præditus modēſtia)
Ne plus dicat quam poſſit præſtare, aut minus.*

SA. *Iſthic hercule nihil opus eſt modēſtia.
Nil reſert, dicat quiſq; quantum collibet
Et quid, nam libertas apud me maxima eſt.
Et uerum dicere extremum eſt piaculum.*

POR. *Hic eſt uir ille, qui regno dudum abſtulit
Opimam predam, nempe Cæſarē, potens
In Scripturis, nugis multo potentior,
Auaricia tumens morbo tibi placito, &
Superbia dederit ſecundas nemini,
Impietate egregius. Audet reſiſtere*

Vel

Secundus.

Vel ipsi Christo, uel, quidquid potentia
Aduersatur tibi tuisq; commodis.
Hic uel totam fidem nouit subuere.
Hic mutuis uilet odijs connectere
Quidquid in orbe est regum, ducum, atq; Principū,
Huic mandes si quid recte curatum uelis.
Et ut concludam, uirum habes ex sententia,
Hec me iussit loqui, ut se commendem tibi.
Ego haud multum differo. SA. Graphicum hercle

(Porphyrī

Narras uirum. Et o duces principia habent bene,
Auet fortuna animum, & succedant omnia.
Quoties enim optaui talis mihi uiros
Dari? Adsunt. Scilicet mea clementia
Inducti. Si igitur talis es uirtutibus
Tantusq; disperiam si non exercitus
Te tocuis iam iam posuero Principem.

Vos igitur Chremi, Plane, Stastades, uirū hunc
Sectemini, colite, parete in omnibus.

Hic Dux uester erit. Tuq; obserues Porphyrī
Quē tantopere laudasti. PO. Faciā. SA. Digna uos
Omnes manent præmia. PAM. Credimus. SA Ad
(hoc uelim

Ante omnia, ne principio publicis uis
Ingrediamini. In insidijs clancularijs
Melior est ratio, & formula efficator
Decipiendi. PA. Nouimus. Et Christi nomine
Negocium exequemur nostrum. SA. Callide.

A ctus

Me e profecto uos multum prudentiæ
Tenetis, namq; & ego me in lucis angelum
Transformo, si speciem uidentur querere
Homines, religiosum, benignum, humilem, pium,
Modestum, patientem, iustum ac mitissimum
Fingo. Quod si ignoratis, ex me discite.

PA. Perfacile. Sed Princeps, inter agendum rogo
Si quando uerbis tibi forte aduersabimur.

Ne egre feras, Tragœdia isthuc postulat,
Ut tam diuina homines lateant mysteria.

SA. Ut uerbis aduersemini facile fero,
Dum facta modo mihi semper respondeant.

PAM. Curabitur Princeps. SA. Diadema aliquis
(triplex

Huc cum signis ferat & iurandi formula.

PA. Adsunt. SA. Accede nunc. Hosce uides Pãmachi

Quos nuper pro factis ornaui fortibus
Coronis quas gestant, tu tamen ut sentias
Quam largus ac beneficus sim erga omnis eos
Amicicia nobiscum qui iungi uolunt,
Nullis adhuc meritis factisue insignibus.

Peractis, auditis tantum uirtutibus
Isthac coronatriplici mox ornabere,
Fidelissimus ut sis cum regno tum mihi.

Iusurandum tamen ante, quod omnes ceteri

Iurare mei solent duces, oportet ut

Iures. PA. Nihil detrecto. SA. Pax sit cœtui.

Silete, attendite, sed & capita aperite. Tu

Ad des

Secundus

Ad dextram Porphyri, leuam Plane occupa
Lege nunc, duobus erectis digitis. Sat est.

PAM. Per principis Satane sacrum iuro caput
Perq; uniuersam regni eius potentiam,
Me nil honesti, iusti, casti, aut integri,
Sancti, pijue (per quæ ius & æquitas
Regni uiolatur) facturum, sed gnauiter
Quantumq; potest fieri, hostes & Christi omnia
Euersurum. Et quod iuravi in præsentia
Verbis, præstaturum operibus in absentia.

SA. Afferre nunc coronam. Etiam atq; etiam uide
Horum ut memineras, mihi multum est in te spei

PAM. faciam hercule sedulo. SAT. Hanc coronam
(suscipe

Tenebrarum ac cœcitatatis, Regibus impera,
Dominare populis. Inferorum maximis
Præsis portis. Omnes tuorum puluerem
Pedum lingant. Secundus in regno sies.

Plaudite, io, io. PO. Hoc quoq; Princeps, existimo
Tua iam prorsus dignum magnificentia,

Quoniam quidem hunc populis præferes & regibus
Satrapisq; cunctis, edicto ut iubeas tuo
Ne pedibus terram tangat, sed quicumq; sunt
In regno primates ac præstantissimi

Sublimem humeris ferant. SA. Age fiat, Tollite
Cathedram Plane, Stasides, Chreni ac Porphyri
Circumferre hic semel, bis, ter. Deinde si

Quid aliud uultis, dicite. POR. Hoc quoq; minime.

Actus

Fuerit ineptum, Populus optimatum
In regno. prouol^{uti}, supplices pedum
Petant oscula. Quod si qui detrectauerint,
Religione aliqua moti aut contumacia,
Regno ac tuis penitus priuentur gratijs.
SA. Ita firmum ac sanctū esto. Tu primus Porphyri,
Vos sequimini. Præterea his signis Pammachi
Res gestas litterasq; signato tuas,
Statim ut his uisis, mei sciam esse Principis.
PA. Pulchre. PO. Nūquid etiā me iurare est opus?
PA. Non mihi, sed huic Episcopo quod ualuerit
Iures. PA. Faustum & foelicem hunc uidimus diem.
SA. Abite nunc foelices & prosperrimi,
Regni uestre fidei commissis commodis.
Acta ad me quotidie perscribantur uolo.
Ut quid agatur sciam. POR. An uis sub plumbo ut
Maxima Romæ uenundari diplomata? (solēt
SA. Vel sub plumbo uel aliter, magnifice modo.
Sic agite, sic res omnis uestras tollite, ut
Regni maiestas innotescat omnibus.
PA. Hec Princeps ante multum cogitauimus.
Sed Dromo nobiscū eat. SA. I atq; subserui Dromo.
Sed heus, reducite nobis Casarem Apostatam.
PO. Nihil facilius. Et hoc cum alijs curabitur.
Satanas, Planus, Stasiades.

PApe, successus hos non sperassem Duces.
Cū Christianis quinsit actum haud dubito. Sed
Quid

Secundus.

Quid uos putatis ? STA. Quid ? Certissimum hoc.
Industrij sunt ad mala prudentissimi, (uiri

Aduigilabunt causa quam nostri, tum sui.

Sed & nos interea nihil cessabimus.

SA. Hoc ipsum agite & abite. PLA. Sed quo uis ?

(SA, Probe

Mones. Illi subiugandæ Europæ sunt satis,

Vos in Asiam ite, de in si licet in Africam,

Vbiq; pro arte quisq; operam nauet sua,

Ne doctrine superfit sanæ quidpiam.

Porphyrus, Pammachus, Dromo,

A Dhuc quæ queris ceciderunt foeliciter,
Et in cunctis adiutor tibi summus fui.

PA. Gratiam habeo. Sed unum mihi molestum fuit.

PO. Num quid peccaui ego pater sanctissime ?

PA. Alia quam quæ dixisti dicere oportuit.

PO. Quæ ? PA. Bona non mala. Sed si quid mihi
(in esset mali.

Tacendum erat PO. Oh erras pater. Non omnia

Apud omnes sunt laudanda. Sed qui est callidus

Personas obseruabit atq; tempora,

Ne forsân laudet quod laudatum incommod t,

Aliud (ut scis) regnum alios mores postulat.

In Sarcane regno uix commendantur alia,

Quam si sis flagitiosus, & egregie scelus.

Sed mentiar, si non laus mea tibi profuit,

Actus,

Vt tanti apud Satanam habere, & in caput
Populorum solus sis suspectus omnium.

Recte. Hec mittamus. Mox cathedram mihi re-
parari cum triplici corona præcipe, & (giam
Ornatus ex auro pariter splendidus.

Vade, ut quam primum compareretur omnia.

Quibus paratis huc ad me recurrito,

PO. Curabo. Sed Dromo mecum. DRO. Sequar

(PA. Et Cæsarem.

Audin? PO. Audio, Melius quam credas omnia
Perfecta dabo etiam si nullus iusseris

PA. O fortuna potens hanc effice Tragediam:

ACTVS TERTIVS.

Nestor, Iulianus, Pterophon,



Acite ut iussi. Scribantur isti
hec ocyus:

Ego hinc ad Cæsarem eo. Si
quid fuerit opus,

Mox huc reuertar. Sed adest.

Hem Cæsar, cito

Redis, iam nunc ad te uolebam pergere.

IV. Vt inam mecum fuisses Nestor. NE. cur ita?

IV. Audisses certe tot inaudita seculis.

NE. Mala sorte asis? Nam te subtristem conspico?

IV. Non admodum bona. NE. Quid Pammachius?

Num ualet?

IV. Va

Tertius

IV. Valet quidem, sed pessime. NE. Aegrotat igitur?

IV. Non corpore sed animo, haud perinde bene
ualet.

NE. Quid ais? Eo tamen esse solet sanissimo,

IV. Nescio quid nam tam praeuoc animum inuertit
hominis

Inauspicato hodie domo extuli pedem,

Mibi illius ut innotesceret audacia,

NE. Vereor quid dicas. IV. Pacem contuli, & omni

In rebus eorum conditioni congruis (bus

Ornatos uolui Episcopos, & maxime

Pammachium, per quem conuersi sumus ad fidem.

NE. Scio. IV. At ille Croesi gazas postulat dari.

NE. Satis auare. IV. Urbisq; dominium sibi expetit

Et Italiae imperium. NE. Quid audio? Satis

Ambitiose. IV. Imperium omne suum dicit fore.

NE. Satis arroganter. IV. Et a se postea Caesares

Institui oportere. NE. Satis imperite. IV. Ait

Apostolos & primos quosq; Episcopos,

Et quod contenti docendi munere,

Nullis sua ademerint imperia Regibus,

Fatuos fuisse, & ignaros rerum omnium.

NE. Satis impie. IV. Ad hoc se scripturarum praedicat

Habere auctoritatem, ac Christum tradere.

NE. Satis (quod ego sciam) mendaciter, tua

Quod uenia dictum sit, Caesar. Quis obsecro

Isthaec iam tandem illi in mentem misit Deus?

Quid tu uero? An concedes illis talia,

Actus

Per que imperij minuitur maiestas tui?

IV. Non concessuro comminatus est male.

NE. Satis proterue. Non tamen uideo, illius

Incommodare quid tibi possint minæ.

Quare spernas & animo sis æquissimo.

Ante hac Episcopos minatos Cesari

Inauditum est. Sed etiam quum mollissimis

Alloquerentur uerbis, uix periculum

Formidandum fuit. IV. Veram dicis. Neq;

Nunc impune serrent, si non propter fidem

Hoc modo aliquo esset perferenda insania. Et

Si ego haud gratissimum me uellem ostendere,

Max sciret, quantum in altum lapides mittere

Prodesset, & contendere cum maioribus,

Bonos quam raro forciatur exitus.

NE. Dandum est aliquid Episcopis. Fortassis &

Istam mutabit paulo post sententiam.

IV. Si non mutauerit, experietur Cesarem

Quum soleat prauis occurrere conatibus.

NE. Demiror, quo isthæc suggerente cogitet?

Et an putet regni procures esse capitis

Tam uacui, ut etiam si tu maxime uelis

Que postulat, dare, illi permittant dari?

IV. Quid effrenis sibi, Nestor, non audacia

Promittat? Quid non aggreditur? Quo non abit?

Habet præterea Porphyrium, intimum suis

Consilijs, hominem doctum, iuxta ac improbum.

A quo illum perfortiter impelli existimo.

Tertius

Quin etiam alioqui humana sic sunt ingenia,
Etiam si alius nemo impellat, prona in malum,
Quippe mali in natura nostraherent semina,
Quibus si non obstiteris aut oppresseris,
Quin pullulent & emergant fieri haud potest.
Quanto magis surgent, si quid cessaueris,
Et agrum, quo crescant, fœcundaueris simo?
Qui sic se instituit, tum demum uere est malus.
NE. Certe Pammachius, in hisce inique cogitat,
Sive a se ipso, siue alio suadente in animum
Inducat. Te hoc curare Cæsar conuenit
Ut merito semper augustus dicare. Nec
Rebus quid per te detrahatur publicis.
Episcopos alio ornare poteris modo,
Ut fidei & ipsis possit esse commodum.
Illi uerba & doctrina præsent omnibus,
Doccant incredulos, hortentur credulos,
Neq; sic laborantibus honor desit duplex.
Tu interea dignitatem conserues tuam.
Neq; enim hoc fides requirit, ut cedas loco,
Aut deseras imperium, aut minuas, sed in eo
Ut irreprehensibiliter te semper geris.

Istuc etiam omnes debent animaduertere,
An regna posteris relinquunt integra,
Aucta, decorata, & pacata, atq; an strenue
Suum in hoc mundo confecerint munus, sine
Facto aliquo quod iure reprehendi possiet.
Commissorum namq; Deus rationem exiget.

IGNAUIOS

Actus

Ignauos odit, & auersatur prodigos.

Fideles in cunctis ὁμοιομοῦς diligit.

At collata ipsius sorte omnes utimur.

Deinde etiam, tametsi dederis omnibus

Quaecunq; petunt, & id ratum habeant Principes,

Qui scis an successoribus idem placeat? Aut

Lauderis a tuis propterea heredibus?

Nil dignius bono uiro, quàm ut gnauiter

Et presenti & futura famæ consulat.

Famam solet parare liberalitas.

Nunquam laudatur, sed ridetur prodigus,

Et perpetuo heredum suggillatur odio.

Vrbes donare, totas & prouincias,

Principis est prodigi, & qui non fideliter

ὁμοιομοῖα tractet datam diuinitus,

Si nunc tu vrbes aliquot imperio abstuleris, &

Regnum earum indoctis tradideris Episcopis,

Atq; hoc factum successorum unus & alter, aut

Complures æmulentur, quid erit reliquum

Tandem imperio? Paulatim dilapidabitur,

Vt paulo post nomen sine re obtineant Cæsares.

Omne imperium deuoluctur ad Episcopos.

Quo prorsus fiet, ut currus bouem trahat,

Nec uerbo, iam sed gladio Christus imperet,

Quod olim se negauit facturum fuga.

Præterea in donis & beneficijs solet

Obseruari, ne prodesse uolens, maxime

Tum rebus & priuatis atq; publicis

Incommodet,

Tertius

Incommodet. Si uis prodesse Episcopis,
Ne facito rebus publicis iniuriam.
Quin etiam Episcopis hoc non prodes modo
Opes magnæ magnas habent molestias.
Crescit seruorum numerus, inflantur, tument,
Docendi studium obruitur, pietas interit.
Haud melius cerdonem à labore dimoucs,
Quam si locupletem feceris, nec Episcopis
Ansam, ut sacros quam primum claudant codices,
Præstiteris fortius, quam si prouincias
Et urbes illis ad regendum cesseris.
Sed oportet esse Doctores, qui plebibus
Deum colendi rectam commonstret uiam,
At non docebunt diuites Episcopi,
Quamobrem & ipsis & cunctis populis obest.
Ut diuiciarum prægrauentur sarcina.
Sed quod minamur oportebit contemnere,
Ne $\xi\iota\lambda\alpha\omega\iota\varsigma$ uideare uel propter minas.
Benefac illis, quo debes & potes modo.
Quod si non tulerint, abeant, & curent sua.
Tu dignitatem facile tuam tuebere.
IV. Te diligo Nestor quia prudenter consulis,
Quum semper, tum etiam nunc, Nec personas soles
Sed æquum duntaxat semper habere in oculis.
Nunc eadem, quæ & ego, sentis. Contemno minas.
Non annuo, nec annui horum quidpiam.
Si nolunt clementem ferre, iratum ferent.
Fortassis, & inclementem honore debito

Actus

Obseruabunt, quem nunc contemnunt rustice.

PTE. Accipite mox equum, ut conueniam Cesarem.

Res magna est, nec dilationem sustinet.

NE. Non idcirco credidimus Christo, ut omnia

Quæ nostra sunt auari expilent Episcopi.

IV. Aliquis pulsat fores Nestor, quis sit uide.

NE. Pterophon est. IV. Ingrediatur. Aliquid forsitan

Noui adfert. PTE. Salue Caesar. IV. Quid Ptero-

phon ait?

Quid anhelas? Quin sudorem abstergis antea?

PTE. Festinus aduolauit Caesar nuncius,

Vt res uidentur postulare pessimæ.

IV. Quid ais? Bona Loquerè. PTE. Vt se res hæc

(bene loquar.

Atq; utinam res bonas iam possem proloqui.

IV. Quid suspiras? Dic quid sit. PT. Nō iam Cæsar es

IV. Hem quid? Cur non cedo? Quid lachrymas?

(PTE. Omnibus

In portis urbium & templorum ianuis,

Affixæ magnis sunt sigillis, literæ?

IV. Quis literarum author? PTE. Pammachius

(Episcopus.

IV. Quid narrat? PT. Te indignum Cæsaro culmine

IV. Quid postea. PTE. Illis depositus es, & inferis

Autoritate addictus Apostolica. IV. Equidem

Nestor, Tum etiam cuiusdam meminit practicæ

Romanæ. Dispercam si non hæc practica est.

NE. O audaciam insignem. Quid dicam nescio.

IV.

Tertius

IV. Hem tibi minas illas. NE. Legisti literas
Pterophon? PTE. Legi & relegi diligentius
Ut esset certior rerum harum nuncius.

NE. Cuiusnam autoritatem allegat rogo? PTE.
(Petri &

Pauli. NE. Nullum illi deposuerunt Casarem
Quum uiuerent, & nunc deponunt mortui?

IV. Nestor, num non censes armato milite
Tam perfidis esse medendum conatibus?

NE. Et nisi Casar quam primum occurreris, indies
Magis ac magis isth.ec augetur audacia.

Notum est, non nunq̄ post folia cadere arbores.

Non usq; adeo reuerendi sunt Episcopi,
Ut tandem etiam opprimere nitamur Casares.

PTE. Audite reliqua. IV. Etiam ne amplius est qui?
(piamē

PTE. Est. Pro cunctis popello concionibus,
Ille horribiliter exponuntur literæ.

Te damnant, te execramur, in te clamitant,

Quam primum tricephalo obijciendum Cerbero

IV. Hui, tantum ne mali? O me miserum. Quod
(est mecum

Tam grande peccatum, tantam ut Tragœdiam

Aduersum me moueam? PTE. Nescio Casar, nisi

Quod uentrosi harum concionum Principes

Petri te possidere aiunt patrimonium, &

Ideo sacrilegum quod nolis restituere.

IV. O impudentiam. Quod mihi patrimonium

Narrans

Actus,

Narrant scelesti? Ego ne quidquam possideo, quod
Pctri aut est, aut unquam fuit? NE. Magna hercule
Hec Caesar est insania. PTE. Literas legunt
A Constantino quodam Cesare editas,
Quæ nominatim res quæ sint patrimonij
Ostendunt. Certe pene infinitas opes.

IV. Proh Deum atq; hominum fidem, quæ isthæc
est malicia?

Falsas audent etiam proferre literas?

Acruscatores non Doctores hercule.

Sed quid? num isthæc credit populus? PTE. Et

Illis credunt, ut dignis & Doctoribus, (maxime,

Qui Pammachium non posse errare garrunt,

IV. Vah homines pariter & scelesti & impij.

Non errat? Hiccine est error quam maximus?

Nec sufferendus, sed tollendus sanguine,

Regnum affectare, & maiestatem ledere?

PTE. Omnes præterea absoluunt à te subditos,

Tibiq; datam fidem irritam pronunciant.

IV. Et his parere uolunt? PTE. Ut est dementia.

Iam iam uideres conspirare Principes,

Mussare ciuitates, esse neminem

Tuas qui partes audeat defendere, &

Plane tuo de capite habemur comitia.

Multi uolunt tuos honores carpere,

Locum gaudent datum, quo possint libere

Et prædari & quæcunq; uolunt inuadere.

In summa. Deficiunt à te omnes subditi,

Alium

Tertius

Alium proclamant Caesarem, qui exercitus

In primis te tuosq; cunctos opprimat,

Ad quod largas pater dedit indulgentias.

Hoc agitur Caesar, tu quid facias consule.

IV. Heu Pterophon, iam rerum es malarum nuncius.

Infesta, horrenda, repentina mala nuncias.

Sed abito. Ego quid sit faciendum uidero.

O me miserum, & infelicem atq; perditum.

Actum est. Huccine rerum uenire dedit Deus?

O mi Nestor, mala isthaec audis? Quid agimus?

NE. Ne lachryma, In re mala consilio opus est bono.

Inuicto sis animo. Bello haec iniuria

Est propulsanda. Ego eo, ut conscribam milites,

Ut summis contra sediciosos uiribus

Pugnemus. Emori satius est hercule,

Quam ut insignis feratur haec contumelia,

In sempiternum maiestatis dedecus,

Et in Caesarei contemptum fastigij.

O ingratos & perfidos Episcopos.

Hec ne parere? Has uos consuere discordias?

IV. Mane mi Nestor. NE. Cur maneam? IV. Eheu

(actum agis

Non possunt scribi milites. Aliud age.

NE. Quid agam? Non prodest longa consultatio

Peristi, nisi quam mox rebus succurrimus.

Procrastinatio in periculis mala est.

IV. Quos scribes milites? An aduersarios?

An eos qui me execrantur? An qui cogitant

Actus

Nos omnes disperdere? Qui ruperunt fidem?

Alium qui sibi conclamant Casarem dari?

O, prorsus desperate res & perditæ.

NE. Non sic existimes Casar. Non omnibus

Opinor eadem est contra te sententia.

IV. Ah falleris Nestor. Miseris perrarus est

Amicus, affluet & ipsa odit salus.

Consilium omne mihi in tam repentino malo

Ablatū est. Quo me uertam? Quē implorem miser?

Quem sic furiarum subuerterunt germina?

NE. Non te afflictes queso. Si non exercitum

Placet contrahere, & res armis defendere,

Aliud restat, quo rebus possit consuli

Vel turbatis & in uniuersum perditis.

IV. Quid illud est? In medium profer obsecro,

NE. Minime est honestum, nec maiestas sustinet.

Et ego nolim te quicquam indignū perpeti.

IV. Quid est cedo? ut uel una salutis sit uia.

Ego iam plane (quod aiunt) inter malleum

Versor & incudem. Fac ut eripiar rogo.

NE. Non consulo tibi Casar, quamquam utile fiet.

Quippe extrema experiri multo utilius est.

IV. Quid tergiuersaris, Quin dicis quidquid est.

NE. Si placaretur Pammachius turbæ caput,

Haud dubito quin etiam turba hæc quiesceret,

IV. Placet hoc consilium. Eamus ergo Nestor. NE.

(Hic)

Cur non silui primum? Quid agis? Non consulo.

IV

Tertius.

IV. In rerum hoc articulo melius fieri haud potest.

NE. Ah non est te dignum Caesar. Quid agas uide.

IV. Num dignum censes ut opprimar exercitu?

Et omni spolier dignitae proditus?

Alij regnent pro me, ego misere agam in carcere?

NE. Verum. Sed magna est pauperum superbia,

Quum reges uiderint orare supplices.

Conditiones pacis scribunt durissimas,

Quis quam ut feras satius sit interire. IV. Si

Ego (quantum iam Romanam intelligo practicam)

Non tulero, alius pro me Nestor feret lubens.

Dimidium ego quam totum malo perdere,

Res istae non ferunt aliter. Nec scio aliud

Præsens consilium Nestor, quod rebus meis

Mederi possit. Quid censes? NE. Haec tu quidem

Prudenter cogitas. Sed ego uereor, ut his

Manere auita imperij possit dignitas.

IV. Si quid perit imperio Nestor, satis uides

Me nolente fieri & impulsu Principum,

Qui me res imperij tuentem, exercitu

In diuersam cogunt cedere sententiam.

NE. Verum est. Vah Pammachio malefaciat Deus

Qui caelum terrae miscet, & caelo mare,

Et in hoc prorumpit usq; tandem audaciae,

Vt omnes uexet Reges atq; Principes.

Et dominis prohibeat parere subditos.

IV. Isthæc olim Nestor, suam inuenient uiam.

Me certæ insignis horsum adigit necessitas,

Actus.

Quæ semper cunctis imperat mortalibus,
Vt faciam, quæ me facturum nunquam in animum
Induxi. Pendat qui est rerum istarum caput.
Sequere Nestor, pacemq; nobis impetres
Ab illo, cui misero ante pacem contuli,
Et despectum magnis ornati honoribus,
Sed simul ac est misertum interijt gratia.

Veritas, Parrhesia.

IN angulum hunc dextrorsum projice sarcinas
Parrhesia, Satanae regno cedat male
Quod terris ejicimur hodie, quam maxime
Et semper hominum promouentes commoda.
Ah quam libenter scire uelim, quid interim
Geratur inter homines, quum me senserint
Abscessisse. Quibus studeant. Quæ sectentur. An
Quisquam sit ueritatem qui desideret.
PAR. Experientur domina paulo post, nostra quid
In cunctis rebus profuerit presentia.
VE. Quid si terras rursus adeas Parrhesia, &
Intersis rebus tacite. PAR. Faciam si iubes.
VE. Mibiq; perferas quid agatur ut sciam.
PA. Recte. VE. Sed intersis tantum, ne gry quidem.
PAR. Vix potero. VE. Vide ut possis. Quippe hoc
(tutum arbitror
Præsertim in Satanae imperio, ut singula audias,
Et uideas tam bona quam mala, nec quicq; arguas.
PA. Scio. VE. Proinde caue sodes Parrhesia.

Tertius

Abi bonis auibus, & max reuertere.

Porphyrius, Dormo,
Parrhesia.

SI uera sunt quæ dicis Dromo, pulcherrime.

SHodie procedemus. **DRO.** Verissima Porphyri.

POR. Et tantum habent autoritatis literæ ?

DRO. Habent. Vix uerbis istuc consequi potest,

Quam summa eas susceperint reuerentia,

POR. Pulchre ita me amet Satanas: **DRO.** Quam

(capite cernuo

Etiam procul ad orauerint. **POR.** Papæ Dromo

Quam obedienter. **DRO.** Etiam si charissimas

iugulare parentes iussisset sanctissimus,

Se dixerunt obedire paratos. Nam eo

Iubente facta alioqui uel turpissima,

Mera persuasum tenent esse κατὰ τοὺς νόμους

PO. Papæ quæ Euangelice. **DR.** Iam oderūt Cæsare

Cane peius & angue. **POR.** Pie. **DRO.** Magnas

(turbas mouent.

POR. sancte. **DRO.** Cæsareas quis spirat glorias.

POR. Magnifice. Pammachium deinceps qui uolet

Irritato. Non dubito quin palmarium

Mihi hoc futurum sit. Sic commoui omnia

Ex inis sedibus. Iam nunc ades Dromo,

Hanc Cathedram baiula, & ornatum tollito.

Ego coronam feram, ut eamus propere ad patrem.

DRO. Defessus sum curcendo tam longam uiam,

ACTVS

In omnes ciuitates & prouincias,

Nec tibi tamen uideor scēisse satis, nisi

Etiam uix hausto spiritu aliud imperes,

Scilicet hęc ferre, quę nullus asinus ferat

Vel Reatinus uel Arcas, siue Cappadox.

Quin etiam ubi paucis impera (ut prouerbium est)

PO. Amabo te Dromo. Non recuses quidpiam

Hodie. Nonne uides ut succedunt omnia ?

In messe metendum est, & hybernis imbribus

Cessandum Qui opportunitatem negligit,

Nunquam rem faciet. Quare Dromo sis impiger

Hodie, posthac si uis annum stertis integrum.

DRO. Faciendum est propter principem cui seruiō

Non equidem propter te. POR. Non curo, fac mo-

(da. DRO. Hui

Vix Atlas tantam cœli molē sustinet.

Da scipionem, ut me sustentem paululum.

POR. Accipe. Præibo tu sequere. Ho Parrhesia

Quo tu sola ? PAR. Illo ubi turbæ sunt quam ma-

(xime

Et uous plurima. POR. Nobiscū ergo Parrhesia.

PAR. Quo isthęc fertis ? POR. Romam. PAR.

Quid illic agitur ? POR. Hęc

Nescis ? PAR. Ab sui aliquantisper, sed die rogo

POR. illuditur mundo, ut dicam paucissimis.

Illic & Aeolię sunt turbarum omnium.

PAR. Recte, illuc ibo, & uobiscum si non graue est

Solam ambulare mulierem haud decet. POR. Veni.

Pamma

Tertius

Pammachius Porphyrius, Parrhesia

Vix post annum reuertaris. PO. Eia Pammachi
Sanctissime pater, iram mitte, Negotia
Non eadem absoluuntur qua mandantur opera.

Est quod leteris, res ad affectum bene
Cessit. Dignus ego qui doner statua pater,
Sic multa & magna breui confeci practice.

PA. Non frustrabere te digno premio. PO. Dromo
Huc ad templi fores depone, & uade quo

Lubet, PAM. Quid hanc tecum ducis mulierculam?
Quid uult? POR. Parrhesia est. Contemplatum
(uenis

Nouas res & tuam adeo magnificentiam.

PAM. Recte. Verum ne sit molesta suadeo.

Noui Parrhesie mores, etiam antea.

Præfracte solet arguere quidquid displicet.

Potes ne silere mulier? PAR. Optime. In angu-
lum hunc

Concedam, & digitum ori supponam meo.

PAM. Sic facito. Videas, audias, non arguas.

PAR. Num hic est Satanae regnum? PAR. Quid
(ais? PAR. Nil equidem,

Sed tu sciebam PAM. Mulier si uerbum, Caue.

Tu Porphyri erigito cathedram, & subsellia

Disponito, parietes uestito purpura,

Actus

*Auleis totum confessum cingito, solum
Insternito tapetibus, supra caput
Cadurcum immineat auro intertextum, Dein
Et sacros nobis exportato codices.*

POR. *Adsunt, soliumq; tibi est paratum persice.*

PAM. *Cortinas applica & extende, ut uestiar ego.
Da diadema triplex, & capiti inponas meo.*

POR. *Sic hercle nulli maiestate cesseris.*

*Et ipse tuus pater aspectus uel saxa uel
Asinos ad religionem atq; fidem mouerit.*

Et nunc plane bos in quadra est argentea.

PAM. *Hem qui dixi ?* POR. *Quid ? ut quadris
(in ambules*

Argenteis. PA. Dignus ego. PO. Oh nemo dignior.

PAM. *Reuolue nunc cortinas, ut uiderier
Ab omnibus possim, & supernum me sciant*

Cunctarum rerum moderatorem, qui uicem.

Christi in terris gerat, cuius etiam in manu

Et regna dare & auferre semper sit situm.

PO. *Deum immortalem, quanta ad hoc spectaculum*

Confluxit multitudo populi tam cito ?

PAM. *Pulchre. Nolim sic ornari ni à maxima*

Mortalium uiderer multitudine.

**Porphyrius, Pammachius, Iulianus,
Nestor, Parrhesia.**

Tertius

Vis ne ut proponam populo quæ te digna sunt?
P A. Prorsus. Loquere quæ iussi singula. P O.
Faciam

Sed ita ut mei memineris. P A. Non mihi excides.

NE. Certè imperator. Nunquam aliquod iter animo

Confeci iniquiore, atq; hoc. Et si meum

Negotium ageretur, metalla ante foderem

Quam ut à uiro tam indigno peterem gratiam.

IV. Tu fortiter quidem, sed prudenter parum.

Non semper quod uolumus, sed quod tempora ferunt

Et res humanæ, facere Nestor conuenit.

NE. Videbis ipse in quod te præcipites malum.

IV. Bene ominare, res alioqui sunt malæ.

Sed quid sibi uult hæc turba? NE. Quid? Heu quid

(hoc noui?

Pammachius regali uestitus purpura?

IV. Vbi est? NE. Ah non uides idolum carneum.

Tua tenentem sceptrum? IV. O mala plusq; Lemnia.

Ab omni adoratur populo. NE. O stulte popule.

Vt ad speciem semper es intentus exteram.

En tibi quem contemnebas. IV. Et diademate

Est ornatus triplici. NE. Iure. Namq; Aphricæ

Asiæ & Europæ regnum tenet. Accede nunc.

Vellet tibi barbam pulchre, IV. In arctum cogimur.

Sed accedamus propius, ut quid prædicet

Auscultemus. P A. Libros expande Porphyri,

Vt adsit maior dicendis autoritas.

Quæcumq; enim dixeris, ex sacris ea libris

Actus

Profecta putabunt homines. P. O. Vt pulchre sapias.

Audite omnes populi, dateq; silentium.

IV. Ausculta Nestor. NE. Ambus aures arrigo.

P. O. R. Vt cognoscatis quid sibi hæc mysteria

Velint, iure ne fiant aut iniuria,

Ne quis forte imperitus rerum aliter putet

De sede Apostolica quàm conueniat, & in

Hereticam forte prauitatem corruat,

Atq; putre membrum scindatur ab Ecclesia.

Quare omnes ad ea quæ dicam animum aduertite.

Christus Iesus Dominus noster, summam Petro

Potestatem soluendi atq; ligandi dedit,

Vt & ligata in terris, in cælis quoq;

Essent ligata, solutorum eadem est ratio. Iam

Romanam primus rexit ille Ecclesiam, &

Potestatem illum à cunctis orbis partibus

Romam transtulit, ut esset illa perpetim

Cunzarum Ecclesiarum & rectrix & caput.

Nec tantundem ullis concessum est Ecclesijs

Quantum Romanæ atq; Petri successoribus.

Hoc scire magnopere prodest credentibus,

Ne forte aliud sibi constituere caput uelint,

Atq; Petri ita indignationem prouocent,

Et mox in primis fidei errent exordijs.

Qui lenim credent mortales, si ignorauerint

Cui sit credendum maxime præ cæteris?

Aut quem sequentur, illum si nesciuerint

Quæ cunctos absq; errore possit ducere,

21. dist.

cap. in

no. 10.

Dist. 12.

cap. Præ-

ceptum,

cap. Non

debet.

Et. q. 14.

A recta.

Dist. 19.

Sic oēs.

Aut

Tertius

Aut quid habebunt certi, nisi ab illo didicerint
Qui certitudinis implet uenis omnia?
Quapropter toto Christianus pectore,
Romanum discat obseruare Præsulem,
Ex quo doctrina manat omnis & fides,
Cui commissæ sunt ad pascendum Christi oues,
Cui clauis sunt coelorum regni traditæ,
Qui etiam uniuersalis cunctarum Gentium
Pater est & Doctor, & Patriarcha, & Episcopus,
Sine quo nulli potest salus contingere,
Ut autem isthæc probetis uera, non modo
Per multis Scripturarum testimonijs
Certum est (quæ si recitare uelim, non hic dies
Suffecerit) sed etiam ex hoc sciri potest.
Quod Deus illum, ut uidetur in præsentia,
Pactolis totis & talentis Tantali,
Et splendida ornauit Salomonis gloria.
Ut non autoritate solum polleat.
Præ cæteris orbis totius Episcopis,
Sed etiam Reges omnis præcellat opibus.
Abundat auro & argento atq; purpura,
Et serico & gemmis, ut iam iure queat
Nec Rex, nec Cæsar, nec Primas, nec Episcopus
Sed aliquis appellari terrestris Deus.
Quem etiam inter Faunos & Siluanos, locum
Primum obtinet sine omni controuersia.
Vnde potest colligi, nil esse ita splendidum
Aut ita sanctum in rebus prophanis aut fide.

Quod

Actus

Quod splendor huius non obruat & sanctitas.
Et sic rebus in humanis, omnium parens,
Nil sanctius, nil dignius, nil altius,
Nil splendidius, nil melius, nil beatus,
Quam Romanum creauit Pontificem. Vnde nec
Consuetudo debet Episcoporum nomine
Deinceps appellari, sed nomen aliud
Admirandi concedat interiectio,
Papa uocetur, mundi solus miraculum.
Nec ab re. Quid enim aut est, aut dicit, aut facit,
Quod non quis dignum iudicet miraculo?
Hinc Satanam iratum habeat & apertos inferos,
Qui hoc nomen sibi deinceps usurpauerit,
Solutus habeat, ut soli data est autoritas
Ligandi ac soluendi, & caelorum clauibus
Prae cunctis sublimatus est Episcopis.
Proinde hunc colite, huic parete in omnibus,
Hunc audite, & in hunc solum oculos intendite,
Ab hoc, si quid adhuc fidei deest, discite.
Christum audit, qui hunc audit, & huius sententiae
Diuina ex tripode putanda sunt oracula.
Hec praefari libuit, ut esset omnibus
Qui Christiani esse uolunt, quam notissimum
Quod, quantum, & quale haberent in mundo

(caput.

Iam ipsa capita & articulos fidei cognoscite.

Ante omnia edico uobis omnibus, ut ab
Heretica quisq; prauitate caueat. Et

Dist. 11.
de consec.
dist. 3. ca.
celebritate
Ca. Hec
est fides
ca. sequen
tia. 14. q. 1
17. q. 4.
Si quis
sua dente,

Si quis

Tertius

Si quis ea iam tenetur, poenitentiam

Dignis agat operibus, ne pereat perpetim

Solet autem hæresis (ut & hoc sit uobis cognitū)

Tribus contingere modis. Et primo quidem,

Quum quis Papam esse negat Ecclesie caput,

Deinde si quis opiniones impias,

In Romane sedis struxerit incommodum.

Postremo, si quis Scripturas aliter sacras

Interpretando ausus fuerit, proponere,

Quam à sede Romana sit permissum. Neq;

Enim Euangelio nec scripturis omnibus

Credendum est quisquam, neq; aliqua est autoritas

Si non Papæ fuerint probatæ calculis,

Si quis in harum hæresum aliquam forte ceciderit,

Vel errore animi, uel persuasus malicia,

Se cœlesti & terrestri exurendam sciat

Igni, à Satanae etiam alienum esse gratia,

Et Romanas ipso factò indulgentias

Amisisse. Hinc etiam atq; etiam caute. ne

Animas perdatis uestras prauo dogmate.

Sed in his uestrum sit studium, quæ nunc singula

Vobis proponam. Vos facite imis sensibus,

(Res sunt haud quaquam spernendæ) reponite

Primo, quod ad Fidem attinet, omnes symbolum

Quod apostolorum nuncupant, perdiscite.

In quo haud opus est, ut quis sit curiosior,

Et articulos ad unguem uelit expendere.

Nam facile curiosa hominum errant ingenia.

Dist. 19.

Si Roma

norum &

cap. sec

quætib.

Et se

Actus

Hyper²
meter.

Et se putant scire quod ignorant maxime.
Vobis uerba tenere satis est. Episcopis
Sensum relinquit, & nobis Doctoribus,
Quos explicatam habere fidem oportet, qui altius
Diuina possunt speculari mysteria.

Secundo, Quia in Adami homines primi patris
Omnes peccauimus inobediencia,
Vt nullus hominum coelum possit ingredi,
Deus misertus nostri misit filium,
Qui pro peccato originis faceret satis.
Et sic redempti ab illo peccato sumus,
Vt libera deinceps sit ad coelum uia.

Tertio, Alijs quia etiam peccatis deum
Studemus, nec satis carni resistimus,
Ex hoc mundo rediens Seruator ad Patrem,
Septem reliquit sacramenta credulis,
Quae ex opere operato suscipienti conferunt
Remissionem peccatorum apud Deum.

Quarto, Quum haud quaerit sola iustificet fides,
Peccataque infinita sunt mortalium,
Arbitrium nobis liberam dedit Deus,
Illius per quod impetrari gratia,
Atque Decalogus impleri perfecte queat.
Illuc facite quod in uobis est, tum Deus
Nulli uestrum suam negabit gratiam.

Quinto, In Sacramentis quis ordo sit & modus
Et finis obseruandus, scire conuenit.
Nam Christus quum prope terris discesserit,

Tertius

Haud comminisci solus quiuit omnia,
Quæ aut ad salutem aut ad decorem conferunt,
Sed multa Petro Petriq; successoribus,
Statuenda mutanda, & tollenda, traditis
Reliquit cælorum clauibus. Vt etiam ea
Tanq; à Deo essent tradita, suscipienda sint.
Quare Baptismum Christi uerbis tradere,
Nullus sedis Romanæ annexis ritibus,
Ridiculum esset, et omnino absq; capite fabula.
Nam haud uerbis duntaxat abiguntur demones,
Sed sale opus est, & Episcopali Chrismate.
Quæ mirabiliter cuncti exhorrent Demones.
Nec simplex nec quæuis sumatur aquula, sed
Quæ magnificis confecta sit ceremonijs.
Ne isthæc prorsus rebus inemptis consistat sacra.

Sexto, quia Christus sub duplici specie, corporis
Scilicet & sanguinis, coenam instituens suam,
Non animaduertit oportere inter Laicos
Atq; Sacerdotes esse differentiam,
Nec sanguinem ab imperita multitudine
Effundi posse, statuimus, ut populo altera
Species negetur, & una contentus abeat.
Vncti uero ambabus duntaxat gaudeant,
Ut sacrarum confectores rerum unici.
Qui etiam tamen, si se populo coniunxerint
Nec per se diuina peragant mysteria,
Aut morbo, aut re alia præcediti quapiam,
A calice abstineant cum populo. Certum est enim

Panës

Actus

Panis sub specie contineri & sanguinem.

Deinde, Nec communionis amplius.

Nec coenae Dominicæ placet appellatio.

Sacrificium & Missa uocetur, quæ mortuis

Viuisq; ex opere operato cunctis impetret

Remissionem peccatorum apud Deum.

Verum, nec ad hoc solum applicetur Missa, sed

Pregnantibus, iter agentibus, uenantibus,

Negotiantibus, uxores ducentibus,

Mare ingredientibus, atq; tempestatibus

Oppressis, subueniat. Et nil incommodi

Usquam emergat, quod non Missa queat tollere,

Septimo, homines quia tanta tenet infirmitas

Vt in multis omnes offendamus, deim

Et peccatorum semper crescit sarcina,

Nec in solo Christi nomine pendet salus,

Neq; fide sola contingit remissio,

Plurima uobis narrabo alexipharmaca,

(Inter quæ Missa principem tenet locum)

Quibus cuncta aboleri peccata credite.

Inprimis, largas uobis indulgentias

Romanus pro argento donabit pontifex.

Quibus non solum in hac uita magna scelera

Redimere possitis, & paruo maximam

Parare gratiam, sed etiam ab ignibus

Securi prorsus reddi purgatorijs.

Quin, & bonis operibus gratiam licet

Et ueniam peccatorum semper consequi.

Tertius

Ieiunijs, uigilijs, & chameunijs,
Afflictionibus & orationibus,
Elcemofynis & castigationibus,
Semper regni patuit cœlestis ianua.

Quisq; suis pro facultatibus Ecclesijs
Iuuat, ut Sacerdotes pascantur pinguibus,
Illi pro uobis orabunt, illi grauem
Aduersum uos iram poterunt auertere.
Qui, quo Deo sunt propiores, hoc facilius
Pro peccatis uestris possunt facere satis,

Romanus etiam pater, ex cordis scrinio
Fœturam uobis producet pulcherrimam,
Mille Monachorum formas, & centum ordines.

Qui castitate & uite sanctimonia,
Mirifica religione & obedientia,
Et paupertate ô prorsus intollerabili,
Inexhaustum meritorum thesaurum parent,
Et longe plura agant quàm præcepit Deus.
Vnde haud sibi solum ex condigno atq; congruo
Dei merebuntur fauorem, sed etiam

Quod superest, in aliorum cedit commodum,
Ad eos igitur emptum merita contēdite.

Quicumq; uero à sancto ductus spiritu,
Illorum sese iunxerit collegio.

Mox omnium peccatorum ueniam sciat
Se obtinuisse, haud minus quàm si Baptismatis
Accepisset sacrum, Christiue sanguine
Esset lotus. Adeo raso esse uertice,

Tertius

Et ueste stulta contegi, & fidem irritam
Humanis facere constitutionibus,
Supremo coelestisq; perplacit patri.

Præterea, non satis est uobis negocia
Cum uiuis esse solis, nisi & à mortuis
Speretis sanctis auxilium atq; gratiam.
Quippe illi iam dudum soluti corpore,
Et faciem iugiter contemplantes Dei,
Mediatores uestri esse, & semper optimis
Deo uos commendare ualent suffragijs.
Proinde ad eos peccati pressi pondere
Conuertimini. Ferijs nec non ieiunijs
Colite, inuocate, adorete, atq; maximè
Cuiusq; nomen facite, ut cuiq; contigit
Et à Deo est commissæ procura tio.
Aras illis struite, sacrificia facite,
Templaq; in illorum consecrate nomine,
Statuas illorum honore afficite & inmagines.
Attentiozem uestri quo curam gerant,
Quos tam occupatos in honore suo senserint.

At in primis Mariam obseruare discite,
Cui nil rerum potest negare filius.
In eam oculos defigite, & fiduciam
In eam omnem collocare. Omnis periculi
Eam habete spem, portumq; & anchoram sacram
Sit uita uestra, sit dulcedo maxima,
Sit adiutrix, sit aduocatrix unica,
Ad eam Stentoreis conclamante uocibus.

Tertius

Ad eam deuoto suspirate pectore
In illius sinum animas uestras fundite.
Cum illi precipuum uestram sit negocium.
Hoc quoq; permagni refert scire, non eam
Diuos loco in quouis uelle dare gratiam.
Sed uirtutem omnem certis addicere locis.
Iis presertim in quibus ossa illorum cubant,
Illuc etiam à remotis orbis partibus,
Peregrinatum magnis sumptibus accurrite.
Remissionem ut impetretis criminum.
Et magnis caelum meritis liceat scandere.
Magna etiam iustificationis copia
Secundum magis & minus, in pecunijs
Sita est. Illis enim expunguntur omnia.
Datis numis, mox iustificatur impius.
Datis numis, praecepta cedunt omnia.
Datis numis, quae quisq; uult facere licet.
Datis numis, Dei impetratur gratia.
Datis numis, merita & opera emuntur bona.
Datis numis, emuntur indulgentiae.
Datis numis, licet inferos euadere.
Datis numis, fugit ignis purgatorius.
Datis numis soluantur matrimonia
Datis numis, frater sorori iungitur.
Datis numis, ius est parentes caedere.
Datis numis, uotorum tollitur fides.
Quare ad pecunias animos aduertite.
Et nil refert quo tandem acquirantur modo.

Actus.

NE. *Quid hæc tibi concio placet Cæsar ?* IV. *Tace*

PAR. *Deus te cum doctrina isthac perdat tua.*

POR. *Quid gannis mulier ? Nisi tacueris, mox tibi
Et os caputq; sustibus dolabitur.*

PA. *Cur hanc loquacem adduxisti mulierculam.
Ut conciones interturbet optimas ?*

PO. *Dico tibi mulier, si amplius te audiuerò.*

IV. *Audin, ut nil dicitur hic sine periculo ?*

PO. *Et nil referet (inquã) quo acquirantur modo.
Sine illis nil Romana præstat curia,*

Solet enim ex aliorum incommodis mortalium,

Sua (quod bene uertat) comparare commoda.

NE. *Deum immortalem, quid putas ?* IV. *Tace
(obsecro.*

POR. *Romanus præterea constituit Pontifex,*

Ut pro peccatorum uenia, Veneris die, &

Alijs diebus quadraginta & noctibus

Et singula quaq; anni parte & uigilijs

Complurium festorum, à lacte & carnibus

Et ouis, magna abstineant obseruantia,

Qui Romanis uolunt gaudere gratijs.

Et certe furto quatuor abegisse equos,

Et hominem occidisse, facile redimi potest,

Sed tempore uetico gustasse caseum,

Aut ouum aliquod, aut pullum gallinacium,

Omnemue carnem, ut peccatum est grauissimum,

Ita etiam difficilime dimitti potest.

Quapropter Pontificis Romani dogmata,

Tertius

Mosaicis tabulis longo præferenda sunt.

Quid enim sunt Moses & Prophetæ & Apostoli

Ni Christi illos probauerit uicarius ?

Secreta quoq; debet fieri confessio.

Contritioq; prius, deinde satisfactio.

Præcipua in peccatis Alexipharmaca.

Quibus peccata indubie cedunt maxima.

PAR. τὸ Χριστὸν δὲ οὐδεὶς λόγος. POR. Hem

(Christum nominas ?

Caue inquam, ut Christum mulier posthac nomines.

Quid ego tibi multa dicam ? Si uerbum amplius.

Hoc tamen obseruandum in quibusdam casibus

Quod non cuiusuis ualeat absolutio,

Nisi Episcopalis consulatur dignitas,

Et ἀντονεῖται ὁ ἴψος petatur clauium.

Præterea, Si quis instigante Diabolo

Interdiu nocturne malis operam artibus,

Furtis, rapinis, & scortationibus

Dederit, is mox quātum potest Ecclesias

Adeat, & aquæ aliquot sacratæ guttulis

Se lustret, uel salis adiurati aliquid uoret,

Quod est remedium aduersus peccata efficax,

Et Diabolo uenenum præsentissimum.

Sic minima opera peccata possunt dilui.

Postremo. Si quis in omni uita, sceleribus

Ita studuit, ut omnes numeros impleuerit,

Iamq; uocat mors, & anima timet periculum,

Haud quaquam se adflictet, nec desperet miser,

Actus

Nam est uia, qua etiam damnatis possit consuli, &
Anima ex ipsis trahi inferorum faucibus.
In prunis Pontificis diploma redimat, &
Potestatem experietur summam clauium.
De in Monachorum (quos creabo) gratiam
Emat, ut pro peccatis permutent bona opera,
Illi eius suscipiant peccata scilicet,
Et contra cum bonis exornent operibus.
Neq; dubium est, quin talis permutatio,
Apud supremum rata habeatur iudicem.
Neq; Monachis, etiam ex peccatis maximis
Quidq; formidandum est discriminis. Nihil
Satanæ cum illis propter uestem est negocij.
Conducatur Missarum magna copia,
Psalteriorum quoq; uis comitetur animam.
Moriens etiam ad arcēdos poterit Dæmones,
Cinere multo & aquis conspergi lustralibus,
Atq; dein Franciscana ueste contegi,
(Quam paulo post qua forma sit uidebitis)
Et longa efferri pompa. Quin & funebres
Multo sint ante constitutæ nenie.
Pulsentur nolæ, animarum habeantur balnea.
His factis nulli unquam desperanda est salus.
His factis Satanas luget & gaudent Angeli.
His factis summa mouentur atq; in summa
Ut peccatori cooperentur in bonum,
Licet & uobis ipsis alios fingere modos
Ad expianda peccata. Roseas preces,

Tertius

Periammata, exorcismos, & alia plurima, ut
Pereundi in peccatis nulla sit occasio.

Poteritis facile peccatis resistere,
Arbitrij liberi intellectis uiribus.

Quibus hæc quæ dixi possunt omnia perfici,

Romano duntaxat obedite Episcopo,

Illius ea fide suscipite dogmata,

Vt si aliud uel de cælo docuerit Angelus,
Anathema sit uobis & abominatio.

Quo pacto semper cæli uobis ianua

Patebit, semper aderunt indulgentiæ,

Semper uos pater in cordis habebit scrinio,

Nec unquam eius uos destituet benedictio.

Hæc sunt quæ Christianos scire conuenit,

Vt cognoscant se habere caput & Episcopum,

Cui nullus sit similis doctrina & nomine.

Certe sacrorum singularis artifex.

Fidei genitor, & ceremoniarum regula.

Vnde etiam triplici est ornatus diademate,

Vestitus auro & argento atq; purpura,

Vt quasi sol omnes illuminet Ecclesias.

PAR. Haha hæc, per elegans illuminatio.

POR. Rides mulier, & hæc sub sannas omnia ?

An heretica diuexat te malicia ? PA. Quin

Extrahas hanc mulierem per capillos Porphyri

Pugnis in os ingestis ? PAR. Sanctissime pater

Meæ loquacitati des ueniam obsecro.

Magis ero muta quam piscis. Mi Porphyri

17. q. 4. Si
quis susci-
dente.

19. dist.

Enimue

ro. Etc.

Sic oēs.

Actus

Parce precor. Si quicquam post hæc occidito.

PA. Si fallis mulier, ut fefellisti hactenus,

Facto ipso eadem te suscipiet sententia.

Dimitte Porphyri, Caue ut quid grunnias.

PAR. Sic facite rogo sanctissimi patres. PO. Pater

Iam nunc imperij fundamenta iacta sunt.

Per me, ut iussisti, Nunc tu ædifices quæ lubet.

Qui non pareat opinor esse neminem.

PAM, Pulchre. Creaturas ego creabo nouas.

Creare ne soli relinquatur Deo.

Exoriantur cito mei regni Cardines.

POR. Papæ. Quid isthuc? Orti sunt & tam cito.

Diuina est uis. Ad uerbum parent omnia. (Hæc

PAM. Producat doctrina mea Monachorū ordines

Tonsoſ & intonsoſ, pullos & candidos,

Mixtiq; coloris, pauperes & diuites,

Cinctos & discinctos, pelicios, laneos,

Et lincos, Epicuræos, & Stoicos.

POR. Produxit. Hercule nouum ranarum genus

Quod uino (ut uideo) delectatur non aquis.

PAM. Pariat doctrina mea Canonicos nobiles,

Qui canibus & equis Romanam doceant fidem.

POR. Adſunt, Ob quã pingues & uentre turgido

PAM. Aedificentur prælargis templa ſumptibus.

Monasteria, ſacella, in cunctis angulis,

Agris, uicis, domibus, caſtellis, urbibus,

Magna auri & argenti ſtruantur copia.

PO. Facta uideo. O Deum immortalem, nunq̄ ego

Tanta m

Tertius

Tantam apud homines putassem uim esse pecunie,

Quæ tam splendida, tam sumptuosa condere

Posset. Nec ulla alia effœcissent dogmata,

Quæ tua doctrina & uerbum adeo effœcit tuum.

PA. Effodiantur diuorum relliquiæ, osculis

Honorentur, gemmis tegantur lucidis.

PO. Fit. Certe Deus aliquis es, sic uerbo omnia

Potes, sic prompti homines sunt ad ea quæ iubes.

PA. Diuis ponatur statuæ, pingantur imagines,

Appareant animæ, fiant miracula.

PO. Cessa rogo, & die quiesce septimo.

Equidem Satanas creaturas has mirabitur.

Næq; enim, certo scio, illas possit fingere,

Quantumuis sit sapiens longæuusq; artifex.

PA. Vellem Satanas adesset, & istæc cerneret.

Curret Dromo & aduocet. PO. Curre, Hæc oportet

Non audiente dixisse populo Pater. (tuit

PA. Præ gaudio ubi sim nescio, uidens mea

Noua torcumata. Nimia delinquant gaudia.

PO. Vnum tamen in creando Pater oblitus es,

PAM. Quid illud? POR. Quid? Nullum creasti

(Cæsarem.

NE. Hem Cæsarem nominat. IV. Adeamus. Vix

Me sum noua isthæc intuens & audiens. (apud

PA. Recte mones. Creabo. PO. Non licet Pater

Creatorem ultra sex dies aliquid noui

Creare. PAM. Quid ergo faciam? POR. Quæ

(creata sunt

Actus

Auge. Ex principibus aliquem institue Cæsarem.
Multi sunt Cæsaris, qui quærant gloriam.
NE. Audis isthæc? **IV.** Audio. Festina progredi
Cubito obstantes arceto. **PA.** Quem creem uoca.
PO. Audite, silete. Hesternum nostis Cæsarem
Diuina autoritate trusum ad inferos.
Quare si quis uestrum Cæsaris ambit locum,
Procedat, & Papæ osculatur calceos.
Multi procedunt, ut dixi. **NE.** Audi Porphiri.
Licet ne paucis alloqui patrem? **PO.** Haud scio,
Sed explorabo. Cæsar adest, & te Pater
Conuentum expetit. **PAM.** Abeat. Non audiam.

(**PO.** Ah Pater)

Non ita facias. **PA.** Sulphur olet & fulmen Iouis.
PO. Audi duntaxat. Si non optata loquitur
Decreta manent. Fortassis faciet quæ cupis.
Arcus tendi potest quantum uis scilicet.
PA. Persuasisti. **PO.** Vix impetraui. Accedite.
NE. Beatissime Pater. **IV.** Loquere mollissimis.
NE. Quæ nuper inter uos habita est contentio
Super aliquibus rebus Romanæ Ecclesiæ
Concedendis, quas (ut tum erat sententia)
Te urgente Cæsar noluit concedere,
In quod malum euaserit hic declarat dies.
Nam pauca Cæsar dum uoluit defendere,
Nec Episcopalis quæ sit uidit dignitas
Omne imperium te iudicante perdidit
Nec imperium modo, sed etiam quod maius est

Roma

Tertius

Romanis cunctis est priuatus gratijs,
Et e' Christicolarum electus consortio,
Eternis etiam addictus est incendijs.
Et iure fortassis (quid enim isthuc disputem?)
Quod tunc & nos & ipsum fugit Casarem.
Etenim si sciisset, quid uerbis est opus?
Haud quaquam esset tam equas auersatus preces.
Quod ex alijs pater potes cognoscere,
In quibus erga te illius est humanitas
Et ut opinor, facilius perspecta omnibus.
Hic durior fuit, & errauit maxime
Christi in terris exasperans uicarium,
Et Apostolicis non annuens conatibus.
Factum saetetur, et scēcisse pœnitet.
Neq; tantum errorem esse putat, ut sententiæ
Tam horribili subiaceat, nec dimitti queat.
Quis enim est hominum qui non peccet? Qui nō ruat?
Errare, a uulua ipsa agnatum est mortalibus.
Boni tamen resipiscunt pœnitentia,
Quum cæteri suis pereant erroribus.
Quare etiam Cæsar huc (beatissime pater)
Ad te supplex uenit, peccatorum petens
Remissionem & ueniam, & se totum tibi
Subiciens, ut decretum retractes tuum,
Eumq; in pristino manere sinas gradu,
In quem haud dubitat se constitutum esse à Deo
Etsi quid unquam tibi concessit gratiæ,
Si quid Dei opitulatus est ecclesiæ,

Id repetit

Actus

Id repetit beneficij. Nec spes enim habet mala
Te non fore duriozem, nec clementiam
Quam Christianis dedit ipse, in se claudier.
PA. Responde Porphyri, ut Papalis dignitas
Requirit. PO. Romanus non solum Pontifex
Omni præest ecclesiastico ordini,
Sed cunctis etiam Principibus & Regibus
In caput est (ne quis erret) factus à Deo.
Quid enim non obtinet potestas clauium?
An qui coelum potest uel uerbo claudere,
Idem Principibus non claudat prouincias?
Aut, cui rerum est commissa spiritualium
Cura, idem haud possit statuere de carnalibus?
Quia igitur Cæsar ausus est contendere
Aduersus hanc autoritatem clauium,
Nec debitam exhibuit reuerentiam patri,
Cæterum in hereticam prauitatem corrui,
Diuino ab imperio est deiectus fulmine.
Indignum quippe ut Christianis imperet,
Qui Christianorum haud honorat præsulem.
Depositus est. Habeat. Et discat Episcopos
Priuatus honore afficere, quos contempsit in
Imperio. Cedat digniori, qui sciat
Se suaq; omnia Papæ pedibus substernere.
NE. Quid nunc agimus? IV. Insta etiam atq; etiã ut im
Que iusserit omnia me facturum dicito. (petres,
NE. Beatissime pater. Ne quaquam supplices
Auerferis. Neq; enim istuc agere solet Deus.

Recipit

Tertius

Recipit peccatores qui se conuerterint,
Dicitq; de conuersis gaudere angelos.
Quandoquidem igitur tu illius agis uicarium,
Ne sis in danda uenia inexorabilis.
Talem te cunctis exhibeto iudicem,
Qualem te peccante Deum fore desideres.
Si quidq; hactenus ignorauit Caesar, suo
Iam presenti satis didicit periculo.
Melius deinceps sapiet, morē in omnibus
Gerendo Episcopis, Romano maxime.
Nec temere unq; posthac Camarinā mouerit.
Quin iam paratus est facere quæ iusseris
Omnia, quod an alius aliquis tibi fecerit
Nondum constat. Potest enim institui nouus,
Qui pro beneficijs te affligat maxime.
P A. Huc Porphyri. Faciunda puto quæ postulat,
Tamen sub illis (quas scis) conditionibus.
Eas illi propone singulas, Dein
Adactus iureiurando, se perpetim
Meas obseruaturum leges spondeat.
P O. Audi Caesar. Sanctissimus in Christo pater
Ex multis causis supplices tuas preces
Dignatur exaudire, quamuis quid aliud
Tua effrenis meruisset contumacia.
Possset enim ex lapidibus his creare Caesares,
Et ab oriente in occidentem, à meridie
In aquilonem imperij locum peruertere.
Tu tamen ut sentias, quàm dignus sit Dei

Vicarius

Actus

Vicarius in terris, & misericordia

Deum æmuletur, dat ueniam erratis tuis.

Reuocatq; ex inferis, si conditionibus

(Quis audies) ad parendum animum induxeris

NE. Propone, parebit proculdubio. Nisi

Cæsar aliud uis? IV. Nequaq; Parebitur.

PO. Quod peccasti, aliter Cæsar dimitti nequit,

Nisi te hic pronum super terram prostraueris,

Quo te planè humiliatum pater intelligat.

NE. En principium, ut dixi tibi. IV. Quid faciã aliud

In arctum compulsus? Deire etare nequeo.

PA. Super Aspidem Basiliscumq; ambulabis, &

Conculcabis Leonem & Draconem. IV. Haud tibi

Hunc tribuo honorẽ, sed Petro. PA. Et mihi et Petro

PAR. Vah homines impij, summum mundi caput

Pedibus conculcant. Te Deus piaculum

Exterminet, ut illudis hominibus & Deo.

PA. Eijce mox mulierem multatam pessimẽ,

Os collinito stercore, uel si mauis luto.

PAR. Quin mittis me pessime, tuasq; res agis?

Heu etiam uerberat, & faciem pingit luto.

Hem proditor, nebulo, sycophanta, carnifex.

PO. Abi in malam rem hæretica Vicleutica.

PAR. Olim scelestè mihi pœnas dabis, nisi

Omnis prorsus perijt iusticia apud Deum.

PO. Nunc Cæsar conditiones pacis accipe.

Credis papam summum esse ecclesiæ caput?

Dic credo. IV. Credo. PO. Credis decreta illius

Diuini

Tertius

<p>Diuini uerbi habere uim nec quippiam Errare posse? IV. Credo. PO. Credis cum supra Patres & concilia esse, & posse à nemine Aut iudicari aut damnari mortalium? IV. Credo. PO. Credis Papā imperij heredē esse, nec Valere Cæsarem absq; eius sententia? Dic credo. IV. Credo. PO. Ex his iam pater intelligit Te esse orthodoxum nullaq; infectum hæresi. Vis igitur illius parere dogmatis? Dic uolo. IV. Volo. PO. Vis regionē Tusciæ & Petri Patrimonium restituere, & defendere, Si quis regnum illud inuasit aut Principum? IV. Volo. PO. Vis dominium Romæ illi concedere, Ut Constantini postulat donatio, Nec Romam nisi uocatus aduenire, nec Dimissus hic hæere diu, ceu in domo Aut urbe aliena? IV. Volo. PO. Vis res Ecclesiæ, Episcoporum inuestituras, pallia, Abbatias, Prælaturas, & negocia Ecclesiastica, in uniuersum cedere Romano Pontifici & alijs Episcopis? IV. Volo. PO. Vis Papam, ut tuum tuorumq; dominū Agnoscere? Dic uolo. IV. Volo. PO. Vis Ecclesiæ Hostes & hæreticos pro summis uiribus Extirpare, & in omni imperio proscribere? IV. Volo. PO. Vis comitia nulla habere Principum, Nisi legatus Pontificis intersit? IV. Volo. PO. Vis nihil in imperij rebus concludere</p>	<p>Extra de Concess. pre. Pro posuit, Et de Ap pel. Ut de bitus. } Cle. past ad finem de sente. et re iudi. Constanti nus c. 16. Distin. Extra de iu. cap. 3 Extra de Ro. Ecc. ca. Sin.</p>
---	---

Actus

Aut ordinare, sine Papæ summa manu?

IV. Volo. P O. Hæc sunt capita Cæsar, pro quibus tibi
Erratorum ueniam dabit sanctissimus.

Et gratia in priorem restituet locum.

Si illa igitur tibi sunt cordi, nullaq; fictio

Subest, fac iurciurando affirmes fidem.

Nequando gratiæ huius poeniteat patrem.

NE. Qui equum usq; ad ferreos uorauit calceos,

Facile & tantum ferri poterit consumere.

IV. Pacis supra scripta capita ut recitata sunt

Iuro tibi Papæ per patrem & filium

Et spiritum sanctum. me ex animo & firmiter

Sentire, cunctaq; facturum firmissimè.

P O. Accede iam & patris osculare calceos.

Quod regibus cunctis est signum gratiæ.

Et merito omnibus est gaudendum, si digitulo

Tantam uno possint sanctitatem tangere.

PA. Iam nunc fili iurisiurandi esto memor.

Atq; deinceps nostris pareto iussibus.

IV. Dabo equidem operam pater. PA. Abito nunc ad

Mox ego cunctis Principibus atq; subditis (tuos

Isthæc fœdera scribam, ut te agnoscant Cæsarem, &

Priores literas esse sciant irritas,

IV. Rectè. Vale igitur. PA. Abi fœliciter. IV. Tibi

Gratiam habeo Porphyri, pro isthæc opera tua.

Et tibi lubens benefaxim. NE. Oh subigas in crucem.

P O. Equidem Cæsar agere gratias nihil est opus,

Libenter soleo tuis operam dare commodis.

Tertius

IV. Veni Nestor. NE. Tenebris perpetuis hic dies
Inuoluatur. Adeo inuisa dedit omnia.
Audire impia, et horrenda scœcit cernere.
Dominantur serui, at sanguis nobilissimus,
Scabellum seruilis capitis conspectus est.
Isthœc ante ueritus sum Cœsar. Heu mihi
Cur non interea in inferorum faucibus
Egi, ne testis & spectator fabulæ
Tã inauditæ essem? imperiũ ab equis (quod dicitur)
Ad asinos descendit. IV. Sat est Nestor. Tace.
Et istuc factus in Melampygam incidet.
Omnia tulit, fert atq; feret longus dies.

Porphyrius, Pammachius,
Satanas, Planus.

Bellus profecto homo sum. Mihi etiam gratiæ
Aguntur plurimæ summa pro iniuria.
PA. Fortasse tibi cum plurimis hoc est datum,
Vt ab amicis & inimicis gratiam in eas.
PO. Sic censeo. Sed uides ne in quem per me locum
Sis euectus. Satane commendavi, & tuas
Virtutes scœci ut essent acceptabiles,
Meis consilijs tuui. nil mihi sed tibi
Querens omnia, pedibus subieci Cæsarem, &
Per me assecutus es quæ sunt charissimæ,
Vt nomen inter magnos habeas maximum.
Quid pro tantis mihi retribues sudoribus?

Actus

PA. Multa satis, si quidem tulerit occasio:
Nunc cardinum sis primus. Veneris tibi
Episcopatus, & quidquid animo lubet,
Per me licebit, & fauebit Dea.

SA. Euge socij. Neq; ante uincula quippiam
Melius successit, nec ego neq; uos talia

Ante hac unq; efficere potuimus. Sed Dromo
Pammachium etiam heroica fecisse prædicat.

PLA. Credo. SA. Sed eamus ad eū exploratū omnia

PLA. Sequimini omnes. PO. Placet pater uenatio
Feræ pingues solent esse in Germania,

Illic primum tendam casses. PA. Phy, si placet
Legatus sis meus à latere in Germania.

PO. Placet. Si magni ponderis indulgentias
Simul dederis. Mirum quàm iners ille populus
Querit et delectetur indulgentijs

PA. Vel plaustrū onustum tecum infer. Bene habet
Cupiunt quibus Romana abundat curia. (Si ea

Nouum hoc erit aucupium. Sed Satanas introit,
Nihil est iam quod malim. SA. Sanè te Pammachi

Geris magnifice. Sed quid tibi principia habent,

PA. Ad affectum Princeps succedunt omnia:

SA. Gaudeo. Nemo tibi restitit? PA. Audiatur aliquis

SA. Pulchrè profecto. At ô terra & Stygiæ palus,
Quis huius est creationis artifex?

PA. Ego. SA. Tu? PA. Ego inquã. SA. Non sum
(falsus Porphyri.

PO. Minimè Princeps, Diuinum hunc obtines uirū
Atq;

Tertius

Atq; id magis scires, si præsens omnibus
Interfuisses. Verbo sunt facta omnia.

SA. Quid ais? Est uerū Pammachi? PA. Verissimū

Tantæ sum autoritatis, & sic solco. SA. Vah

Vix decimam partē mihi narrauit Dromo. Adeo

Arrident cuncta, meraq; sunt miracula.

Sed quæso te, cuius creasti gratia?

Ipsa etiam aspectu delector. De singulis

Quid habeant utilitatis dicit rogo.

PA. Isti sunt (Princeps) regni nostri cardines

Ad hoc facti, ut tibi perinde ut ego seruiant.

Quæ in rem tuam sunt consulant, Prouincias

Expilent, Decreta tua seruent perpetim.

Et si quis post me Papa à te desciscere

Voluerit, prohibeant, resistent, arguant,

Venenis semper ad hoc paratis obruant.

SA. Necessarium opificium. PA. Quos rufos uides

Alijs atq; alijs pennis uestitos, genus

Humile quidem uidentur, sed habent maximam

In regno promouendo uim & potentiam.

Eos cunctis in scandalum feci hominibus,

Vt fictis mundo illudant religionibus,

Et meritorum apud eos habeantur nundinæ.

Ipsi spernant Christum, doceantq; spernere.

De uiribus summè suis superbiant,

Meiq; sacra sine Papatus anchora.

Et ad conuerrendas undiq; predas canes.

SA. Ha ha he melius ipse haud potuissem fingere

Actus

PA. Quid referam singula? Reliquiæ, tēpla, statue
Canonici illi inuersis pellibus, imagines,
Animarum spectra, monasteria, miracula,
Et si quæ alia mea peperere dogmata,
Hoc faciunt, ut Christi obscuretur gloria,
Alijsq; uijs mortales cœlum scandere,
Nitantur, doctrinaq; tollatur sanior.
SA. Pulcherrimè isthæc cogitas præ cæteris
PA. Et de tota fide nil sis sollicitus, ac
Quo pacto populus ad uerbum pareat tibi.
Effecta credito, si postrema exordio
Respondeant. SA. Admiror uirtutem tuam.
In his quæ cerno, Pammachi, neq; timeo
Peiorem te fore, sed industrium magis
Expecto, ut beneficijs meis respondeas.
Isthæc ad opprimendam Christi gratiam
Satis esse uideo. Sed quid ais de Cæsare?
PA. His ipsis (princeps) illum pressi calceis,
Et in mea iurauit uerba ante paululum
Quam tu uenires. SA. Oh salui sumus undiq;
Nam & in Asia res bene cecidit ducibus. PA. Ais?
Quo pacto obsecro? Vix hac mea foelicius.
SA. Foelicitè satis, ut ipsi narrât duces.
Vera ne sunt Plane, quæ narrasti facta? PLA. Res
Ipsa docebit, Princeps, nil esse uerius,
SA. Dic etiam illis. PLA. Dicā, & cōpendio quidē.
Bellatorem & prophetam suscitauimus
Mahumetem nomen, qui nouam Christi fidem
euertit,

Tertius

Euertit, odit, & dissipat Ecclesias,
Vt Christianos in Asia uix quindecim
Repperias, sanæ doctrinæ prorsus nihil.
SA, Audis hoc? PA. Magnum hercule. S. A Nūc nō
(me pœnitet
Fuisse aliquantisper uinctum, & uix deniq;
Solutum, quum me tanta hæc excipiunt bona.
Nihil quæror. iam altum licebit stertere,
Nec Christus amplius erit formidabilis,
Sed agite omnes. Tantarum rerum ἐπιυΐορ
Triumphemus, trophæumq; erigamus, &
Hæc magna in iubilo celebremus gaudia.
Vt inde uirtus excietur omnium,
Isthæc tueri parta, & maiora parere.

ACTVS QVARTVS. Parrhesia, Veritas.



Erè dictu. n. σιγῆς ἀκίνοισυορ
γέεαε
Deorum mundo acceptior em
neminem
Harpocrate esse reor, sic uult
Laudari sua,

Sic absq; contradictione sua accipi.
Ego quia uix mussaui, tuberibus mihi
Caput effloruit, euulsi etiam miserae pili,
Facies deturpata luto. Hæc refero præmia.

H ij O impi

Actus.

O impios sophistas, scelerata capita,
Hocine docere uos, & tanta audacia
Agere, ut linguas coherceatis omnium?
VE. Hem Parrhesia, quid istuc ornatus rogo?
Num lapsa es alicubi in lutum? PAR. Nequaquam heras
Hunc mundum mihi sophistarum affixit cohors.
VE. Quapropter? PA. Ah rogitas? Parrhesia sum
(haud fero
Si quis agat aut doceat male. VE. Tamen ego tibi.
Interminata sum, ne sola quid hisceres.
PAR. Fateor. Sed quis truncus has ferat ineptias?
VE. Inepta igitur audisti? PAR. Non dici potest
Quam inepta, absurda, scelestas & impia cernere
Contigit & audire hodie, ut mallet septies
Exuri, quam illa meo probare silentio.
VE. Fortassis Satana presidente? PAR. Non heras,
Sed Pamachio. VE. Quid? Pamachius docet impia?
PA. Et facit et docet impia. VE. Quid ais? Episcopus
PAR. Quantum ex dictis & factis hodie intelligo,
Nil opus erit Satana ad extinguendam fidem.
Episcopi & sophistae incumbunt fortiter,
Nec Christi beneficia populus intelligat,
Et ne prisca maneat fidei sinceritas.
Haec audiens, uix uerbis argui tribus.
Pro tribus ita uerbis sexcenta fero uerbera.
VE. Absterge lutum, & quid agatur dic apertius.
PAR. Paucis absoluam. Episcopi munus suum
Linguunt, & militares spirant glorias.
Pamachius praesertim impietatis artifex

NOVA

Quartus

Nous etiam gignit dogmata, nouam ecclesiam
Sine fide solis producit ceremonijs,
Sedet in templo Dei & in humanis cordibus,
Adorari, timeri cupiens, ut Deus.

Multum potest, sed non propria potentia,
Reges timent, pro illo decertant Principes.
Quin etiam pedibus conculcauit Caesarem,
Et iuratum in suam illum habet sententiam.

Præterea noua creauit terra pondera
Qui pauperum fortiter exugant sanguinem,
Pro auro argentoq; sua uendentes stercora.
Qui, ut sibi modo bene sit, multoq; ab domi ne
Ventres distendant, miserorum mortalium
Pruis doctrinis interitum haud faciunt pili.

VE. Cessa obsecro Parrhesia, quantum narras mali ?

PAR. Plus est quàm quisq; uerbis possit consequi.

In summa autem, mendacijs sunt compita,
Templa, uiz, & omnia plena, nec mirum quidem
Te absente. Viuunt homines quasi sunt perpetim
Victuri, & impune agere liceat quodlibet.

VE. O miseros mortales, me absente & perditos,
Vidisti ne aliquos hanc deplorare miseriam,
Desiderare me, & meliora querere ?

PAR. Hera (ut uerè dicam) perpaucos, uix decem
Ex mille, illos etiam iam tædet uiuere.

Pro te suspirant, nec uerbum audent proloqui,
Orant Deum tacite duntaxat, ne simul
Cum Sodomis & Babylone illos perdere uelit.

Actus

VE. Roma igitur Sodoma & Babilō, & si qd est
Babylone peius? PAR. Certè in hoc rerum statu,
VE. Quid ergo agimus? Num non putas nobis locū
Superesse in terris? PAR. Ex meo hoc periculo
Disce. Quid alibi sit in tot regnis nescio,
Romana locum tibi non concedet curia.
Quin etiam Itali, Illyrici, Scoti, Hungari,
Hispani, Galli, Angli, Germani, Sarmatæ,
Daniq; idolam Romanum omnes pertinent.
VE. Heu misere mihi, perpetuum exilium nuncias,
PAR. Nequaq̄ hera, si mauis exuri nullies.
VE. Num exurent immortalē? PAR. Sic uidebitur,
Mortalibus & immortalibus homines parant
Mala, & gygantum instaurant exemplum uetus.
VE. Frustra terres. Mihi apud homines esse uolupte est
PAR. Hem, fac periculū si lubet. VE. Aliquis locus
Querendus est, ubi inter homines liberè
Verfer. Sed iam teneo. Domicilium uetus
Asiam adibo. PAR. Nisi eam Satanas totā occupat.
VE. Quis scis? Satis opinor in Europa habet agere.
VE. Non uidi in Europa Satanam, sed omnia
Solut deuastat ἀπὸ οὐρα furiarum. VE. Quē ais
PAR. Pammachium. Quare Satanam opinor in Asiā
Dux. Be exercitum, ut etiam uestigia
Reliquiasq; tuas (si quæ illic sunt) deleat.
VE. Quo me uertam nescio. Quid tantū misera ego
Commerui, ut nullus in terris mihi sit locus?
Sequere me. Recta ad Christum concedam, cui

Isthæc

Quartus

Isthæc exponam omnia, petamq; ut mihi locum
Det meliorem, quàm istam uastam solitudinem.

Satanas, Dromo.

Avdite me commilitones optimi.
Parta fœlici de Christo uictoria
Trophæis erectis consultum censeo,
Ut curemus cutem de spolijs ho'tium,
Totos genialiter consumentes dies.
Nullus laboret, sed ferie sint perpetim.
Ludamus, saltemus, bibamus ordine.
Et nullus oblatum anteponat poculum,
Quim ter quateruè exhausserit. Si quis etiam
Post uomitum se exhibet potorem strenuum.
Plexis caput sacrum exornetur pampinis.
Et si dies ad hæc celebranda gaudia
Breuiiores fuerint, pars addatur noctium.
Nihil relinquamus quod ad luxum attinet.
Et mortui & uiui suppeditabunt lucrum,
Ut sine sollicitudine mea immensa impleamini
Cibo, potuq; uel si lubet ad nauscam.
Eia agite, Sedete. Huc Pammachi & tu Porphyri,
Tu Plane Pammachio claude latus dextrum.
Tu Chremi læuum. Stasides sit proximus
Porphyrio, Hem ubi reliqui sunt conuiuæ Dromo?
DRO. Qui? SA. Rogitas? Canonici, Monachi atq;
Cardines

H s Officiales,

Actus

Officiales, Episcopi, & qui Principum
Nostris decreuerunt fauere partibus.

DRO. Ad sunt hiantes. Iam olim Monachorū cohors
Ad deuorandum adest laxato cingulo.

SA. Recte, Sibi quisq; locum eligat quem percipit.

DRO. Hem monachi sortiuntur uerberibus locum,

SA. Ha ha he. Quernos illis adfer fustes Dromo.

Sic ista solent constare sacra. Non parcite.

Cedite, bibite, turbis, rixis, clamoribus,

Alatis poculis resonet conuiuium.

Vultis adducam singulis scortum eligans?

Video uos uelle. Adduc Dromo q̄ plurima.

Nulla sine mulieribus sunt plena gaudia.

DRO. Rursus pugna incrudescit. SA. Iam patinas

(Dromo

Adfer bonis auibus. En hic Princeps fuit,

Anime suae per uos consulere uolens. Boni

Consulite, edite. Quid Pammachi? Cur non capum

(hunc

Dilaceras? Cur non rabidam depellis famem?

Sic facito, & ceteros conuiuas admoene.

Adfer aliud Dromo, nempe assum. Hæc comesa sunt

Carpite nunc. Istuc est cadauer diuitis,

Quem iussi uobis testamentum condere.

DR. Oh rursus pugnant. SA. Recte. Infunde largius,

Cadauer, ut uidetis, est pinguisimum.

Tolle hoc & appone aliud. Hæc uidua est domus

Quæ uestrarum precum esse uolebat particeps.

Opima.

Quartus

Opima suppellex est. Vorate singula,
Nec tectis his nec fundamentis parcite.

DRO. Hæ uix posita in mensam sunt correpta omnia

Non sine uulneribus. SA. Tales conuiuias uolo.

Da missum alium. Cur patera non obambulat?

Cur ita taciti? DRO. Quasi pleno possint gutture.

Nec alium alius uorando certet uincere.

SA. Hæc sarcimina sunt, magnis confecta artibus

Miserorum hominum è medullis atq; sanguine!

DRO. Diripiunt ultro & plenis buccis deuorant.

SA. Super hæc unusquisq; calicem plenum bibit.

Perfortiter hercule. Sequimini omnes. Iam Dromo

Quintum actum profer, DRO. En habes. SA. Qui

(negligens

Fuit hæctenus (conuiuæ) istoc decet ultimo

Eduo saturatur. Cras dabo lautissima,

Hic mercatoris est sacculus, ære grauidus,

Apponere manus. DRO. Haud sine pugnis ferculum.

Lapitharum isti sunt mores. SA. Quin sustibus

Rem agitis aut sudibus? Ist hæc sunt puerilia.

Sic facite reuerendi patres. Heus ô bone

Tu nobis exemplum instauras Philoxeni?

Rectè, ita uiuam, solus corripuit. DRO. Ego hercule

Malo esurire, quàm hoc saginari modo.

SA. Rectè, nihil relinquitis. Bellaria

Appone Dromo. Hæc sunt bellaria plusq; Atticæ

Omnis generis delictu sunt mortalium, ex

Quibus sibi quisq; sumat quantum collibet.

Profundè

Actus

Profunt omnia, mirificèq; palatum iuuant.

Nullum tam leue peccatum est, quod non commodum
Vestrae adferat culinae. Agite ergo strenuè.

Sua unicuiq; sit commissa portio.

DRO. Nequaq; illis Melissa opus est. Nam ceteris
(Vt uideo) omiſſis hoc unum summe student.

SA. Scis quid tibi sit faciundum Dromo? DRO. Si
(dixeris

Sciam. SA. Interim dum nos epulamur, hoc tibi

Cure sit. Omnes percurrito prouincias,
Odorator caute an sint tranquilla omnia.

Ne quid bibemibus nobis & ebrijs
Mali oriatur. Si quid fuerit, mox nuncia.

Sic liberabis nos curis, ut pocula

Et omnis luxus continuetur perpetim.

DRO. Faciam. Si tres prius calices exhausero.

SA. Vidistis iam commilitones optimi

Quid uobis proponam, quam etiam d'apaliter
Cuncta ministrem, ut nullus idem faciat Principum.

Quapropter spero uos fore constantissimos

Apud me, quum sagnem uos pinguiſſimis,

Valeat Christus cum paupertate sordida,

Cum tormentis, cum poenis, cum laboribus,

Cum curis, cum carceribus, cum periculis.

Vos non curate quid uester serus uehat.

Ita uiuite, ut uixisse uos mundus sciat.

Nil uobis deerit, me mundi negocia

Gubernante, & presente rebus omnibus.

Christus

Quartus
Christus, Paulus,
Petrus, Veritas.

Nullus ne uobis angelorum rettulit
Quid agatur in terris? PAV. Nullus. Sed que
Magister, ut communices apostolis, (Sumus
CH. Mira est rerum facies. PE. Hem. CH. Satanus im
(perat

Longe lateq; & ad nutum eius omnia
Versa atq; reuersa sunt. PE. Heu. CH. Ille ecclesias
Disiecit omnes, aut corrupit hæresi.
Vix septem in orbe sunt relicta millia,
Qui Romanæ non acceperunt bestię
Characterem, qui non credunt mendacijs,
Nec primis Satane cesserunt furoribus.
PAV. O miseros mortales. CH. In summa. Res ita
Ut dudum dixi prosperamur impijs.
Optimus habetur, qui agere nouit pessimè.
Laudamur noua repperientes idola, qui
Cultum offendit nouum, sanctorum catalogo
Asscribitur. Sed ueritas huc aduenit.
Aliquid opinor apportans noui. PE. Satis
Sunt hæc que dixi, etiam si aliud ni: il adferat.
CH. Hem surge Veritas. Quid uis? quid postulas?
VE. Domine Iesu Christe, potestas tibi maxima
Cælestium rerum est data & terrestrium.
Cur non res humanas & me miserrimam
Et exulem aspicias? Dominantur impij.

Actus

Satanas ubiq; regnat. Res sunt tam malæ,
Ut peiores esse nequeant. Nosti omnia
Et conuiues. Quousq; tandem isthæc rogo?
CH. Quid fless? VE. Iussisti me terris excedere,
Et consueta humana relinquere commercia,
Ut Satane regnandi locus esset amplior
Obediui, excessi, liqui charam domum,
Quam mihi in hominum solam pararas cordibus,
In uasta iam diu degi solitudine.
Interea tamen (amore tactus intimo
Prioris domicilij) uolens cognoscere,
An bene merita usquam quærerer a mortalibus,
Ancillam in terras uisum iussi pergere.
Que rettulit, neq; tui neq; mei λόγος
Haberī usquam. Adeo Satanis uertit omnia.
Peruenit Romam, an illic cura esset tui,
Sed ecce Pammachius uastauit omnia.
Mendacia illic, luxus, & superbia,
Inauditaq; scelera regnant. Homines tamen
Sana (ut res loquitur) prorsus mente perdita,
Pammachium adorant, de illius calice bibunt.
Sicq; omnes terras uomitu replent ebrij.
CH. En quod dixi de Pammachio. PAV. O hominem
(impium
VE. Nec calicem facile sinunt e manibus eripi.
Sic arrident imposturæ, sic falsitas
Est cordi, sic nihil est sani relliquum,
Sic doctrina humano inquinata stercore

Placidus

Quartus

Placidus repperit aures. Nec doctrinam impiam
Pammachio autore probant homines solum, sed &
Turpissima facta iusticias cognominant.
Persuasi falso Pammachium unà cum suis
Non posse errare. Ego magis credo (& res docet)
Non posse recte facere, aut si quid fecerit
Quasi errorem corrigere. Quod tu Casari
Quæ Cesaris sunt iussisti omnes reddere,
Vsq; adeo curat, ut pedibus illum premat,
Tributa, & honorem neget & obedientiam.
Res Cesaris ipse habet, nil aliud Casari
Reliquit iurato, quàm nomen Cesaris.
Hæc quam uideret & audiret Parrhesia,
Indigne tulit (ut solet) & uerba uix tria
Contra locuta, tuberosum fert caput,
Comam euulsam, os contusum & oblitum luto,
Nec his contenti, ignes minantur insuper,
Et ut lubet hærescos cuiq; asseribunt dicam.
Ut nulla me spes habeat posthac hominibus
Placere posse, ut me reducant exulem.
Ergo ne perpetuo mihi exulandum erit?
An ita pulchrum est Satanam oppressisse, quæ diu
Multoq; labore tui docuere Apostoli?
Aut uis totum mundum perdere mendacijs?
Certe scio aliquos superesse tuos, in quibus
Iustitiæ ueritatisq; residet amor, &
Adhuc perfecto ad te suspirant pectore.
Illorum te miserefeat Christe. An impios

Et hoc

Actus

Et hoc posse sines, ut non exitum sibi
Operentur solis, sed simul etiam pios
Perdant? Seruator diceris, serua tuos
Quos tibi dedit pater, qui credunt sanguine
Sese tuo redemptos, & fiducia
Mortis tue & Satanæ promissa negligunt,
Illis me mitte, illi suscipient, & locum
Dabunt, ne in horrida hac peream solitudine.
CH. Auditis nunc, quis sit rerum in mundo status?
PAV. Totus magister exhorresco hanc audiens
Narrationem. PE. Afflictis rebus consule
Magister, ueritatiq; tribuas locum.
Ne Pammachius expugnatis mortalibus,
Et in perpetuam seruitutem traditis,
Nobis deim cœlestibus negocium
Faceffat, & in cœlum usq; regni proferat
Pomœria. VE. Certe Petre, timendum censeo,
Nam quantum intellexi id uidetur struere, nec
Frustra de cœli gloriatur clauibus.
PE. De adulterinis forsân? Nam primas ego
Probasq; habeo. Nihilominus tamen, seram
Magister censeo mutandam, & obicem
Firmum & adamantinum applicandum ianue.
CH. Nil hoc opus est amere Petre. Non huc sinam
Nec Satanam, nec Pammachium quemq; ascendere,
Quantum etiam de cœli se iactent clauibus.
Eant illuc, ubi nullis opus est clauibus,
Vbi dies & noctes late patet ianua,

Quartus

Suas quo etiam præmittunt indulgentias.
Illuc trudentur cum omnibus Gigantibus,
Qui diuos hominesq; ausi sunt affligere.
Quapropter Veritas, sis animo equissimo.
Multo sunt plura quàm quæ narrasti mala.
Non fiunt me ignorante. Ego etiam uidero
Ne ultra quàm constitutum est procedant, neq;
Vt in infinitum præualeat iniquitas,
Propter meos, quorum unus est mihi charior,
Quàm omnes Pãmachij, quàm cunctæ Satanæ tribus
Nihil timeas ut iustos perdant impij.
Aut à mea faciant alienos gratia.
Vtcunq; premantur & affligantur, nil tamen
De illorum apud me hereditate deperit.
Sunt filij, sunt hæredes, quanq̃ undiq;
Circumstrepant malorum turba. Tu feras
Mecum quæ sunt ferenda. Porro, quod locum
Alicui in terris postulas tibi dari,
Neq; exilium amplius ferre potes, uix tibi
(Quantum ego Satanam noui) est futurũ commodũ
Dissidia & motus excitabis maximos.
Bellabunt aduersum te plenistibijs.
Gladijs, igni & aqua, milleq; modis te uolent
Extinctam. Vt nulla lupis cum agnis concordia est,
Sic tibi mendacijsq; nulla foedera
Cohærent, iugis erit ἄσπονδ' ὅσ' ὠλεμ. &
Hæc prædico, futuri nec sis insciens,
Vt etiam atq; etiam quid agas rectè cogites.

Actus

Non uenies ad pacem, aut choros, aut gaudia,
Sed omnium in malorum colluuiem & marc.
VE. Immortalis sum. Monstra duntaxat locum,
Satane & Pammachij facile furores perferam.
CH. Ut uis. Quandoquidem etiam alioqui tempus est
Ut Satane turbetur regnum, tam prosperos
Tolerante haud amplius cursus Rhamnusia
Monstrabo tibi locum. VE. Rogo domine ut uelis.
CH. Vides Germaniã? VE. Video. CH. Ad Boreã uide
VE. Heu, Num me etiam uis macerare frigore?
CH. Confide, calesces plus satis. Albis ubi fluit?
VE. Video. Illic ex Bohemia magno alueo
Per Mysiæ campos & per fortes Saxones,
In Oceanum deuoluitur Germanicum.
CH. Rectè. Hinc eunti trans Albim est sita ciuitas
Bis longitudine uincens latitudinem.
Arx est in parte quæ occidentem respicit,
Quam Saxonum Dux condidit, qui primus est
Conuersus ad fidem. VE. Quid postea? In angulum
Illum me diuertere iubes? CH. Scilicet. Abi.
VE. Ad quæ? CH. Ad Theophilũ. illũ tuas doce uias
Ut Papatus cuncta patefaciat hulcera,
Ut somnolentos Germanos excitet, & ut
E templo rursus pellat nummularios,
Qui ecclesiam latronum speluncam putant,
Qui capiunt & opes animasq; indulgentijs,
Qui ut fungis cunctis illudunt mortalibus,
Te Theophilus suscipiet scio cupide, et locum

Quartus

Parabit ampliore in terris omnibus.

VE. Euge Domine, sic consule miseris mortalibus.

Vnū tamē adhuc supplex abs te peto. CH. Quid est ?

VE. Paulum mihi uicē comitem addas obsecro, ut

Illo præsente maior sit uerbis fides.

Neu sola in tam feris uerser nationibus.

CH. I Paule. Conduc ueritate uis, & adiuua

Mci nominis ut rursus crescat gloria.

Etiā si Satanæ Pammachioq; illa crepant.

PAV. Eo magister, tutus iam à periculis.

Sed si mihi ferenda essent, quæ olim pertuli

Mortalis adhuc, uix huius essem audaciæ.

Eamus Veritas, ne nox nos obruat.

CH. Ite. Sed heus, Theophilum armatote fortiter

Verbo & scripturis, ne formidet congrēdi

Cum Pammachio, cui nemo quiuit hactenus

Resistere, sed omnes oppressit nequiter.

Me prædicet, me commendet, me diligat

Satanas Pammachiusq; sit abominatio.

Ego protegā, murumq; illum dabo æreum

PAV. Sat est magister, sedulo curabitur.

Dromo, Satanas, Pammachius,
Porphyrius.

O Stygia palus quantum est malorū, Vix queo
Resumere spiritum. Hem quid hoc? Nemo
(audiet?)

Actus

Dormitis? Eho, nullus uestrum est sobrius?

Quid dicā? Vomitu omnes mensæ et scāna perfluūt
Hosce tuba uix resuscitaret ultima.

O Satana non audis? Etiam tu stertere

Didicisti? SA. Hē quis uocat? Quid clamas pessime?

DRO. Quid ego clamem? Dormitis in discrimine

Tāto? SA. Quid narras? DR. Hui bellū, arma, surgite

PO. Oh uix possū apire oculos. PA. Quis clamoribus

E tam dulci somno excitat? SA. Quid est rei?

PA. Hem Dromo reuerteris? quid fers? quid nūcias?

DRO. Rerum iam certē sum malarum nuncius.

SA. Ludis Dromo. DRO. Ego ne luderē in re seriā

Quod uidi & audiui uobis referam. PA. Bene.

DRO. Consurrexere hostes in uos fortissimi.

SA Hem quid ais? DR. Rem ipsam, SA. Cessa. Sur

(scita Episcopos

Monachos, Canonicos, Cardines & ceteros.

PA. Hui surgite, surgite omnes. DR. Quā grauiter

Hesternam prorsus crapulam destertere? (queunt

SA. Recita nunc clarē. DRO. Quā uoletis clariū

Consurrexere hostes in uos fortissimi,

Monarchiæ qui uestræ pessimē uolunt.

PA. Qui sunt? Vbi? quis defectionis autor? Et

Quapropter? quando? quo robore? quo exercitu?

DRO. Hem istuc ibam. Ad septentrionem Saxones

Habitant, inter hos uidi doctorem nouum,

Qui Veritate Pauloq; exhortantibus

Aduersum uos Germanos omnes excitat,

Doctrinæ

Quartus

Doctrinae uestrae gratia & tyrannidis,
Quae amplius haud toleranda esse suadet fortiter,
Et modo sane non Saxones solum, sed &
Germani ferme omnes uestrum abijciunt iugum.
Vos ueluti impostores detestantur male.

SA. Audis haec Pammachi? PA. Oh totus ardeo
Iracundia, & animi perplexitate. Si

Quis Veritatem mihi iam & Paulum tarderet,
Simul & doctorem illum scelestum, in temporis
Puncto cum ipsis omnes uorarem uestibus.

SA. Heu praestitisset uigilare, haud totos dies,
Abdomini, somno, uentriq; impendere.

PA. O haereticos, o schismaticos, o perfidos,
Qui haec in Romanae sedis interitum struunt.

PO. Dic mihi Dromo, quid docent, quae illorum do-
(gmatu ?

DRO. Docent homines sola iustificari fide

PO. O errorem crassum. PA. Vae nostris uentribus

DRO. Salutem in solo Christi haberi nomine.

PO. O haereticos. PA. Vae uae meis honoribus.

DRO. Papam docent non esse caput ecclesiae.

POR. Ad ignem, ad ignem. PA. Vae triplici diade
(mati

DRO. Legem impleri non posse nostris uiribus,

Multo minus plus fieri posse a quopiam.

PO. O fatuitatem. PA. Vae creaturis meis.

DRO. Nil prodesse sacramenta sine fide.

Nec iustificari ex opere operato quempiam.

Actus

PO. O distortos homines. PA. Veh doctrinae meae.
DRO. Nec missam opus esse, quod uiuis & mortuis
Ex opere ipso ueniam peccatorum impetret.
Nec recte populo speciem subtrahi alteram.
PO. O Vicleuitas. PA. Veh uerba nostris meritis.
DRO. Itidem confessionis uestrae mystica, &
Alia multa onera reprobant conscientiae.
PO. Omaliciam inauditam. PA. Veh nostris sacculis
DRO. Nec inuocari Diuos debere approbant.
Nec peregrinationes, nec ieiunia
Nec omnia opera humana, quantumuis bona,
Reimissionem peccatorum operarier.
PO. O impios plane homines. PA. Veh ceremonijs.
DRO. Nec ad salutem dicunt indulgentias
Requiri uestras. Quidam nec faciunt pili.
PO. Hē istuc etiā tradūt? PA. Veh nostris nudinis
Quid nūc facimus Satana? SA. Quid? macta, interfice
Terra, aere, igni, aqua, omnes quos huius uie
Nactus fueris. Vnde ego uos posthac pascere,
Si dogmata haec abstulerint uectigalia?
Huc res ut uideo tendit. Nunc omnis lapis
Mouendus est, Nunc uires uestras promite.
Nunc nunc nouus scribendus est exercitus.
PO. Sic Pammachi malē succedet uenatio,
Etiam plaustrum exonerandum est indulgentijs.
PA. Si quis mihi daret huius doctrine caput,
Frustrillatim dentibus illud discerperem.
Hoccine parare quempiam mortalium?

Quartus

Itane tandem spernere Christum uicarium ?

SA. Hui mox huc primores omnes concedite,

Vt quid nobis faciundum sit, sententia

Quisq; sua dicat. In tantis periculis

Nihil est cunctandum Hæc opprimenda censeo,

Dum adhuc in herba sunt, næ roborata, plus

Laboris postulent, plus & periculi.

Satanas, Pammachius, Porphyrius
Planus, Stasiades, Chremius.

Accumbite. Audistis quæ nos premant mala
Qui hostes, quæ dogmata, quæ ue conspiratio
In nos consurgat à quibusdam perfidis.

Vt timeam non pro me modo, sed pro uobis magis,

Pro me quidem, quod Christi surgit gloria,

Quam ego unà uobiscum prope dudum extinxeram,

Quamuis nec ex uestra re sit eam crescere,

Pro uobis uerò, & uestris pro crumenulis,

Quod commeatui uestro hinc periculum

Haud uulgare uenit. Quin & uectigalibus

Magna per hæc dogmata uestris lis intenditur,

Vt res uestræ ad Saguntinam spectent famem.

Scitis enim, ex missis & ex ceremonijs,

Ex relliquijs, & ex Diuorum cultibus,

Ex operibus bonis, & ex ieiunijs,

Ex nenijs animarum, ex indulgentijs,

Et ex confessione, ex poenitentia,

Actus.

Prouentus esse uestros. Quare si omnia
Turbarint hostes, & homines auerterint,
Ne uestro sint intenti posthac quæstui,
Vnde ego uos ociosos pascam? Aut unde uos
Equos, scorta, canes alere poteritis? Aut quibus
Regales instructis pompas? Ne igitur huc
Veniat, omni curandum est industria.
Vnusquisq; suam iam dicat sententiam.
Qua re, rebus tam afflētis succurri queat.
Dic Pammachi. P A. Aduersus eos, Princeps, Cæsare
Armabo, terrarumq; reges omnium,
Qui nobis sunt iurati, qui sunt filij
Semper dilecti, qui colunt nos hæcenus.
Episcopis, & cunctis qui potentiam
Vel unius muscæ obtinent, præcepero
Ut ante quidem cœlesti tactos fulmine
Exterminent, perdant, occidant, strangulent
Sine iudicio, sine lege, absq; misericordia,
Omnes qui aduersum me hæc docuerint dogmata.
S A. Rectè. Dic Porphyri. P O. Studiorum censeo
Magnis promissis adduci collegia, ut
Etiam suis hæc dogmata damnent calculis.
Vnde facile toti orbi innotescet, perditè
Illos omnes errare qui susceperint,
Et merito ex humano eijci consortio,
Et æternis iure plectendos ignibus,
Deinde libri tam peruersorum dogmatum,
Sacris urantur execrationibus.

Quartus

Pecus suillum grunniat, latrent canes,
Obrudant onagri, in coelum mugiant boues.
Scribant libros sophistæ ualde blitæi,
Hirci, anguli, mustellæ, atq; coclearia.
A nobis magna sperantes premia.
Sic hæretici opprimuntur multitudine,
Et os uel inuitis facile obturabitur.

SA. Pulchré. Dic Planc. PL. Mihi uidetur optimum,
Curare, ne illi inter se unanimes sint diu.
Sed inter sese pugnent & dissentiant.
Subinde & alia suscitabo dogmata,
Longè peiora istis, quasi tamen orta sint
Ex his, ut in popelli rapiantur odium.
Nobisq; ad expugnandum aditus sit facilior

SA. Bellé. Dic Stasiades. ST. Ut Princeps, dogmatis
Quæ in Papatus exitium coorta sunt
Minus applaudatur, & fauoris sit minus
Omnem ex Asia traducam mox exercitum, ut
Sub illius prætextu doctrinæ, uagi
Ad seditiones commoueantur rustici,
Dominorum graue conantes excutere iugum.
Quod cordati uidentes homines, qui hæctenus
Pacificè egerunt sub Papatu, & qui nouis
Non gaudent rebus, quantumuis melioribus,
Abominabuntur noua isthæc dogmata, &
Pacificum nostrum regnum amplectentur magis.
SA. Bene. Dic Chremi. CH. Si (Princeps) mea munera
Measq; artes bene noui, haud diffido fore

Actus

Quin multi in nostra maneant obseruantia,
Pecunijs corrupti & auri copia.
Video enim uix quenq̄ applicari dogmatis
Hisce nouis posse, si non in periculum
Vitam suam suaq; deponat omnia
Cuius animi non sane permultos fore
Puto. Ridebunt uiso argento plurimi.
Credent quæ quisq; uolet exactor aut dator.
Neq; bolam ex faucibus sibi sinet eripi.
SA. Percommode dixistis omnes omnia, &
Diuersa licet, tamen in unum tendunt scopum.
Scilicet ut surgentia sternantur dogmata.
Et Papatu suis floreat honoribus.
Nec Christi tam alte prædicetur gratia.
Proinde iam nunc consulta aggrediamini.
Vnicuiq; sua commissa sit sententia.
Tu armato Episcopos, Reges, & Cæsares.
Tu doctis & indoctis dato negocium,
Ut doctrinis hisce aduersentur sedulo.
Tu subserito hæreses, & praua dogmata.
Tu bella & seditiones parito rusticas
Tu fortes eneruato animos pecunijs.
Ita facite, ut Satana digni uideamini.
Res non patitur lentæ manus conamina.
Agite, surgite, furioso cuncta spiritu
Subuertite, ῥῆξ ὄρη γῆς μὴ σῶσθαι θούρητος
Oculi, dentes, lingua, manus, oraq; gladijs
Atq; uenenis armata sunt Colchicis.

Quartus

Non magis huius doctrinæ sectatoribus
Parceri uolo, quam rabidis canibus aut lupis,
Qui primus hostium mihi nunq̃ occurrerit,
Illius ad nauſeam me explebo sanguine.

Epilogus Actus Quinti.

NE iam expectetis. Spectatores optimi,
Vt Quintus huic addatur actus fabule,
Suo quem Christus olim est acturus die.
Interea Actus Quarti consilia res mouent
Rursum prorsum, ut uidetur in presentia,
Totam Satanae iam perstrepit negocium,
Defenditur Papatus cultusq̃ impij.
Perstrenuæ Christi aduersatur gloriae,
Propter superstitiones & ceremonias
Quæ cum scripturis & uerbo pugnant Dei
Multum quotidie Christiani sanguinis
Effunditur, quasi is demum certissimus
Dei cultor sit, & pietati deditus,
Qui multas hominum fecerit succidias,
Qui iugulare homines pro delectamento habet.
Insaniunt in nos Turcæ perfortiter
Insanimus nos in nos ipsos haud minus.
Vt Christianis sit molestum uiuere, &
Spectare iugiter Satanae Tragœdias!
Nec sperandum humanis consilijs res fore
Meliores, nisi Deus istius Tragœdiæ

Actus

Finem fecerit aduentu Filij sui.

Suos qui ex mundo tollat, ut aurum ex stercore,

Et impios perpetuis tradat ignibus,


Quod fabule totius erit $\kappa\alpha\tau\alpha\sigma\theta\omicron\phi\eta$.


τέλος.


Errores officinæ qui per imprudentiam irrepere, diligens Lector ipse emendabit, nam alicubi litera pro litera posita, alicubi literarum ordo inuersus neminē facile errabitur. Volo aliquod subijcere ut ex ijs reliquos ipse iugules.

A. 2. facie. 1. Archiepiscopo lege mox ibidē digniss. mox cogitāti unico c. A. facie. 2. scriptura nō scriptura. ibidem nihil pro mihi. A. 4. fa. 1. effodit lege. A. 5. fa. 1. præful pro persul. A. 7. fa. 2. conditionibus. A. 8. fa. 1. perniciofa. B. 2. uersu. 1. salutis. B. 3. fa. 1. cessuras. B. 3. fa. 2. ditissimus.

Hos in initio errores deprehendimus ex quibus reliquos ut dixi emendabis ipse.







OCN 1292593025